



Come dichiarando molt' cose ch' Christo de suoi my  
sterij, non si poteva contenere dalle lagrime.  
Et come la partizione del Sangue in cinqz ampolle  
significauano le cinqz piaghe di Christo.

Dichiarò da poi molti misterij di questo sangue:  
ma uenendo in gran singulti & copiose lagrime  
narrando l'ordine di tal cose, non le possette esprimere. Ma riprese le forze. questo solamente ci  
dichiarò, che queste cinque parti del Sangue,  
una delle quali era nella ampolla grande; tre  
in quella del liquore; come più uolte s'è replicato  
et la quinta laguna era rimasta in un uaso piccolo,  
significauano le cinqz piaghe del nostro redentore  
dalle quali non sappiamo se quel sangue era stilato hora per uirtù diuina; o pure se già gran  
tempo sia conservato altrove. Gli mostro anchora  
la forma del tabernacolo, nel quale si drouea ri  
porre quest thesoro.

Qui haueua anchora lo scrittore lasciato un luo  
go uoto, per far disegnare a qualche buon mi  
niatore, la forma di detto

Tabernacolo

Pagina tratta dal volgarizzamento della Vita di Chiara Bugni: vi si menzionano le «cinque ampolle» (che rappresentano le cinque piaghe di Cristo) nelle quali viene conservato il sangue e il «tabernacolo» ideato da Tullio Lombardo nel quale «riporre quel thesoro», di cui l'autore della Vita, fra Francesco Zorzi, intendeva far eseguire il disegno «a qualche buon miniatore». *Libro della beata Chiara*, Venezia, Biblioteca del Museo Correr, ms. Cicogna 1451, c. 79r (cfr. *infra* p. 206 e le figg. 14 e 25).

TEMI E TESTI

89

“SCRITTURE NEL CHIOSTRO”  
SERIE DIRETTA DA GABRIELLA ZARRI

LA VITA E I SERMONI  
DI CHIARA BUGNI  
CLARISSA VENEZIANA

(1471-1514)

a cura di

REINHOLD C. MUELLER e GABRIELLA ZARRI



ROMA 2011  
EDIZIONI DI STORIA E LETTERATURA

Prima edizione: maggio 2011

ISBN 978-88-6372-270-3

Il volume è frutto della ricerca «Le scritture monastiche tra memoria e rappresentazione: libri di ricordi, biografie e autobiografie», svolta presso il Dipartimento di Studi sul Medioevo e Rinascimento (dal 1° gennaio 2011 Dipartimento di Scienze dell'Antichità, Medioevo e Rinascimento e Linguistica) dell'Università degli Studi di Firenze e beneficia per la pubblicazione di un contributo a carico dei fondi di ricerca della prof.ssa Gabriella Bruna Zarri.

*È vietata la copia, anche parziale e con qualsiasi mezzo effettuata  
Ogni riproduzione che eviti l'acquisto di un libro minaccia la sopravvivenza di un modo di trasmettere la conoscenza*

*Tutti i diritti riservati*

EDIZIONI DI STORIA E LETTERATURA  
00165 Roma - via delle Fornaci, 24  
Tel. 06.39.67.03.07 - Fax 06.39.67.12.50  
e-mail: [info@storiaeletteratura.it](mailto:info@storiaeletteratura.it)  
[www.storiaeletteratura.it](http://www.storiaeletteratura.it)

*Vita beatae Clarae* di Francesco Zorzi  
il testo latino

a cura di ADELISA MALENA



*Vita Beatae Clarae, Monachae Sancti Sepulcri Venetiarum, Descripta per  
fratrem Franciscum Georgium, fratrem S. Francisci*

I

Et a me presbytero Andrea Florentino correctore librorum in officina impressoria Iunctarum apud Sanctum Julianum, et qui a 1541 coepi rem divinam facere in dicto monasterio Sancti Sepulchri, fidelissime exemplata 1562, quae ita erat ab eodem fratre scripta, ut iterum esset rescripturus, quoniam multa ibi deerant, quae suo commodo vel opportuno tempore esset repositurus, sed morte praeventus imperfectum reliquit opus. Et est sepultus apud Asulam Trivisanam in monasterio fratrum Sancti Hieronymi, quod sibi vivens ob hebraicarum litterarum studia elegerat. Cui clementissimus ac benignissimus Dominus Noster Iesu Christus dignatus sit eum in Suam gloriam recipere, ubi cum Beata Clara, pro qua tantum laboravit, glorioso eius perfrauantur aspectu. MDLXII.

Et ego presbyter Andreas supradictus traduxi in linguam maternam, florentinam scilicet, hoc idem opus pro consolatione monialium dicti monasterii anno 1562 in alio libro quem moniales apud se retinent, et quia hunc accommodavi cuidam presbytero perugino nomine Gregorio \*\*\*, qui quatuor huius libri cartas ita fedaverat, quod eas rescribere coactus fui. [275]

II

Invocato Sanctissimo Nomine Iesu, quod sicut sublimissimo sacramento celeberrimo nuntio ex divinis penetralibus mortalibus est revelatum, sic mihi miserrimo faveat ad ea plenius et veridice conscribenda, quod omnium bonorum auctor dignatus est temporibus nostris feculentis ad bonorum paucorum quae restant solamen ex intimis archanis patefacere.

Deus enim et Pater Domini Nostri Iesu Christi scit quod non mentior, recludat mihiique portas omnes veritatis et gratiae si in his quae subinferam a veritate declinabo aut preter veritatem aliquid scribam.

Apparuerunt diebus istis miserrimis, quibus Deus qui est benedictus in secula ad providentiam suam amictis secretioribusque revelandam demonstrandamque iustitiam, tot flagellis, et mundi agitationibus in demerentes, ea quae in multis retroactis temporibus minime visa sunt sed ut regnorum mutationes, clades lacrimabiles, nova regna novosque mores renovatasque doctrinas et coetera multa huiusmodi omittamus, hoc unum mirabilissimum tangam, quod in debiliori sexu foemineo nostris oculis perspeximus, et manus nostra recte contrectaverunt de nova Clara, novo Francisco, nova Magdalena, immo singulare quoddam, quod nescio si supraactis temporibus in huiusmodi rerum serie aliquando gestum sit, singulis enim isdem Dominus impertitur ea singularia dona quae habet. Et nunc, quando extincta videbantur spiritualia charismata, singularem lucem suam perfundens suscitatur in vita evangelica splendidissimum.

Fuit enim infantula quaedam Blanca nomine, quae MCCCCCLXXI quarto nonas octobris, in diem videlicet beati patris Francisci, honestis in urbe Veneta orta parentibus, patre videlicet Antonio de Bugnis, matre autem, velut altera Rachel, in huius futurae lucis partu extincta fuit a communi vita.

Haec igitur in primeva aetate Domino semper addicta, aliquantis per tamen, ex animi potius ingenuitate et paternis deducta blanditiis, ornatui et cultu muliebri cessit. Quod statim collustratis divinis radiis oculi perspicientes contriverunt. Corporisque ornatum minime ferens, ipsum penitus in animo cultum commutare studuit, concione quadam exteriori amore, et intus divino edocta oraculo. Unde et [276] vili sumpto habitu omnem mundi ornatum sprevit domumque paternam obliviscere studens, ad diversa sese conferebat cenobia, quorum omnium matres precipue, statim sibi affectae, eadem in suum desiderabant trahere consortium. Sed ipsius animus in nullo plene delectabatur collegio, donec ad quandam domum matronarum accessit, quae tertiam regulam beati Francisci observare satagentes peregrinas omnes ad Sanctum Sepulchrum Ierosolimam proficiscentes devoto suscipiebant hospitio. Unde sepulchrum quoddam in simulachro Ierosolimitani et veri sepulchri confirmarent. Hinc et capellam quandam, quam in dies in ampliorem ecclesiam construxerunt Sepulchri nomine recitaverunt, quo multae conseptae mundo iam mortuae, cum Christo vitam castam felicius viverent absconditam. Inter quas haec quam supra diximus iam adolescentula effecta vera alma abscondita in penetralibus ipsius veri sepulchri, quo mortui, tanquam grana recondenda, in dominico horreo sepelliri debemus, si vocem Domini Iesu pro nobis primo mortui et sepulti audiamus dicentem: «Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum

affert». Haec autem quae uberrimum fructum producere dispositione debebat, profundiori etiam fovea consepeliri oportuit. Sed prius portare crucem sibi opus fuit, quo mortua postea redderetur sepulchro. Nam prima die qua cenobium illud ingressa fuit, cum adhuc in pannis secularibus esset, talis fuit sacramentaria visio premonstrata:

Arbor videlicet permagna, cuius truncus altissimus erat multis respersus nodis, in cuius vertice erant tres fructus, sed unus illorum in deorsum pendebat. Ipsa autem a Christo sibi arborem demonstrari poposcit, ut qui essent illi tres fructus declararet. Cui respondit: «Primus illorum est fides, sequens spes, tertius perseverantiam, sed qui pendebat obedientiam significabat». Sed cum de nodis perquireret, respondit benignissimus Iesus, quod si per negligentiam, aut tribulationem tentetur, ut crux [277] discederet, quoad nodos illos se applicare vellet, idest ad merita divinae gratiae, quae ex omni parte a cruce Domini pullulant. Gravata est enim super ea manus Domini ut eandem expurgans et mortificans, in faecibus plebis sepeliens, fecundiorem in campo supra germinantis ecclesiae restituere. Tradidit enim eam manibus et pedibus hominum et demonum in tantum conterendam ut nihil non, quod optime terrenum linqueretur in ipsa.

Quot enim calumnias, quot poenas, quotve tormenta, nulla praecedente culpa, ut haec pateretur perpessa est? Scit Spiritus Iesus, qui haec omnia ad suam electissimam sponsam praeparandam iubebat. Sciant et quae secum versatae sunt honestissimae mulieres, cognoscentes aperta luce haec sibi Domino iubente, non ad scelera expianda sed ad omnimodam animalis nostri mortem, et consumptionem inducendam, ut interior homo cum summa vita sollicitus viveret. Sciunt et optimi patres, nos praecipue, quorum consilio per diversa tempora in via Domini et in exercitum militantis turmae ducebatur, quorumque charismatibus et expurgabatur, et perurgebatur, ubi fuerat opus. Quorum primus Clarae comprobans his castigationibus, clariorem redi, non ultra Blancam sed Claram appellandam, divina sic collustrante luce constituit.

Sed quia parum videbatur specioso prae filiis hominum, hanc sibi carissimam futuram sponsam humanis flagellis expurgatam, primeva tantummodo claritate splendescere voluit adhuc eam gravioribus ministris tradere. Gravior igitur facta manus Domini super eam mortificandam et collustrandam, ut uberior speciosiorque tandem in excelso thalamo appareret, data est ministris angelicis, sed primo malis debellandis, ut de eis parta victoria sublimiori corona merito decoranda veniret. Non enim coronabitur, inquit Apostolus, nisi qui legitime certaverit. Postea tradita est bonis sibi sociandis tanquam amicis iucundissimis de victoria applaudentibus. Hoc enim ordine cum summo duce Christo congressi sunt.

Malus enim primo cum satellitibus suis tentans, et bellans, boni postea de victoria laeti congaudentes ministrabant. [278] Gravis enim fuit pugna illa ex cuius victoria. Christicolae omnes totumque genus humanum forte, in malos illos hostes iam coepit habere. Paucis tamen verbis evangelista bellicum illum laborem exposuit. Sed paucioribus adhuc maximum illud conflictum quo princeps huius mundi electus est foras. Et triumphus humano generi redditus.

Paucis etiam hoc exemplo me expediam, a durissimo quae sibi humani generis hostis huic adhuc tyrunculae inflixit certamina. In corpus enim ea flagella viderunt inflictia domesticae, ut caro tota livida iam ad extremam nigredinem pluries, pluribus corporis membris declinare videretur. Unde timebant consociae, timebantque consanguinei, qui livores et ipsi viderunt aliquando ne virgis aut funibus fuisse percussa. Sed hoc apertum rei supernaturalis erat inditium, quo statim iubente Domino caro eius tota in pristinum restituebatur vigorem. Qua pugna contemptis hostibus alacrique patientia superatis, asperiores parabantur. Oculis enim se iucundissimos atque lepidissimos exhibebant. Omnia quae animalem hunc hominem delectare possent permittentes, ut eam voti compotem haberent. In qua severa pugna triumphatrix preclara existens, ad ulteriorem divina eam semper corroborante gratia se disponit.

Ecce igitur subdulus Sathan in angelum lucis transfiguratus, per pluries se adorandum prebere praesumpsit ancillae humillimae, qui et a Domino pervicaci superbia tanquam Dominus venerari poposcit. Quas hoc pessimò tentandi genere sibi molestias intulerit, scire possunt qui experti sunt et qui legerunt quid Ruffinus \*\*\* et alii ex huiusmodi insidiis perpessi sunt. Sed vera divinaque irradiante luce, fugata est falsa, imo expulsae tenebrae obscurissimae, sub apparenti luce reclusae fugatisque tenebrarum ipsarum principibus, tradita est lucis filia verae luci, quae omnes illuminat dummodo eandem suscipere velint, licentiatis tenebris et debellatis earum ducibus. Ecce igitur lucis auctor, tanta luce sibi electissimam sponsam, circumamictens replevit, ut eam tam summae [279] lucis adhuc et terris positam consortem statuerit. Illucente utique luce, furoreque divino in mentem corpusque illud divinum ita natum in dies transformari coepit, a claritate in claritatem deductum. Ut in posterum iamque verae lucis oraculum sit edocta, non ultra a membris vel earum principe timeret iam decipi. Haec enim aliquando ex eius ore suscepit, cum de principe tenebrarum et satellitibus suis et eorum deceptione haberem sermonem: «Non ultra timeo eius deceptions, notae sunt iam mihi eorum insidia. Optime eum novi quando Tentificus, ut me ab oratione retrahat, venit, quando superbiae et elationis veste indutus, quando etiam in angelum lucis transformatus est, ut nihil iam amplius timeam. Has

enim suas illusiones, iam Dei gratia parvipendo omnes postquam me ab una horrenda tentatione sua gratia liberavit. Quam tanquam obscenam, et vitae spirituali infestatissimam pertimescebam, factitamenta videlicet animalis hominis, quam spiritalem opprimere stridet». Et sciscitanti mihi, si iam de hac haberet perfectam quietem, respondit: «Die decima septima augusti MDVI, iam sunt anni duo, mi pater, quibus non maiores motus in corpore meo persentio, quam si lignum esset, aut columna quaedam».

Expurgata itaque ab omni malo contagio, deposito vetere homine, novum induit Christum Iesum, qui sibi in sponsam elegerat, et per annulum suum consecraverat, sed seriem habere non potui, cum de more admodum renitens erat, narrare ea quae in suam laudem vergebant. Mihi tamen sciscitanti, et omni instantia cogenti, aperto sermone confessa est, quod particulari oraculo in sponsam sibi consecraverat Christus Iesus, quod tam mundatam, expurgatamque ab animali homine oblitam, populum suum et domum patris sui dilexit, concupivitque decorem suum, quia erat ipse dominus Deus suus. Ultra alium non amabat, in alio condelectari solebat. Nec potest quis dicere «Domine Deus meus es tu», nisi qui perfecte ab omnibus spoliatur, aliud non adorat, aliud non diligit, nisi Deum. Ideo concupivit Rex decorem suum quoniam ipse erat Dominus Deus suus.

[280] Expoliata itaque ab omni alio quod non erat Deus aut non tendebat in Deum, soli ipsi Deo vocans, corpus in tam servitutem reduxerat, ut et in modico contenderet contra spiritum, qui iam verus Dominus erat effectus, vel in modico bellaret. Sed in omnibus cedens Spiritus ipse validior reddebaratur in dies.

Tunc cognovimus quid Paulus senserit cum dixit: «Cum infirmor tunc fortior sum», infirmato itaque et mortuo exteriore homine, fortissimus redditus est spiritus ut eas faceret quae natura ex utroque commissa non patitur. Vests enim etiam in extrema hieme ad tegendum corpus, non ad calefaciendum, portabat. Tenuissimae enim erant et quae summis aestibus portare solebat, suum imitata patrem Franciscum, qui sociis admirantibus, quomodo se posset ab hiemali algore tam tenuibus vestibus defendere, respondit \*\*\*<sup>a</sup>.

Somni autem brevissimi erant, et potius imago et umbra dormitionis quam somnus erat: clauso enim die ad ergastulum suum sese conferebat, ubi premissa oratione non modica, sese super tabulas pavimenti colligebat, ubi stabat usque ad tertiam vel quartam horam noctis. Et ecce continuato ordine, strepitum quendam sentiebat ad caput, ac sicuti digitorum nodis lignum vel tabulam fortiter percuteret, non quiescebat percussio donec ad

<sup>a</sup> Manca la risposta che si trova invece nella traduzione (A, c. 6v).

orationem surgeret. Dubitans enim aliquando ne malignus hostis is esset, qui sagaci astutia vellet in destructionem corporis eam solicitare, ad ea, quae corpus adhuc possibile perferre non posset, obaudiebat et ad somnum reverti procurabat. Non quiescebat verus ille sacrista a percussione, cui etiam et lucem fulgoremque addebat eam collustrantem ad cognoscendum quis esset ille nocturnius gallus excitans eam tandem. Surgens itaque solicitata tali sacrista, noctis partem reliquam in oratione ducebatur. Sed ut de dormitione eius perficiamus quod cepimus, corpus, [281] ut diximus, super nudo pavimento distendebat; capiti vero lapidem, aut lignum pro cervicali supponebat. Sed cum hoc nimis durum confessori et sorori illi nutrici et secretorum suorum conscientiae revelasset, iusserunt, ut pulvinar in posterum teneret ad caput. Hoc tamen non minus durum quam pauperimum stratulum tantum sibi delicatum et luxuriosum videbatur, ac sub operimentis sericeis aut aureis, in delicatissimo lecto quesceret, inde ut mihi sepius retulit, torquebatur nimis in conscientia de tam nobili apparatu.

De cibos autem quid dicam, rem sum dicturus incredibilem, sed Deo teste et qui viderunt non fallam. \*\*\*<sup>b</sup>

### *De directione et collustratione divina*

In quanta in omnibus gratia sua eam pervenerit Altissimus, hoc quod subnectam inter alia indicabit.

Cum MDIV decima die decembris a sororibus eligeretur in matrem, et electionem ego, qui socius p<sup>a</sup>tri<sup>c</sup> d.<sup>c</sup> et servator vocum aderam, pronunciassem, clamans alta voce «Jesus» in agoniam cecidit coram nobis et sororibus. In qua stetit ad spatium quo sibi demonstrata fuere omnia quae ventura erant super ea in praedicto officio, quomodo oblata corrigeret, obliqua dirigere posset et filias in Dei timore et regulari observantia conduceret, ut post biennium, die videlicet tertia ianuarii 1506, mihi patefecit. Unde statim suscepto officio, ad solitum configuum orationis accessit orans, et clamans ferventi corde ad Dominum, ut filias etiam sine peccato conservaret, a demonisque potestate eriperet. Cuius precibus annuens Altissimus certiorem de obtenta petitione multipliciter reddidit. Et ut oracula super hoc edocentia omittam, quibus praeter morem mihi certissime [282] confirmavit, nullam demonibus potestatem relictam super filias tempore officii sui ii etiam confirmaverunt eventus. Oranti enim pro huiusmodi Sathan in humana forma suis compressis oculis sese obtulit,

<sup>b</sup> Manca il seguito che si trova invece nella traduzione, cap. intitolato Del suo mangiare et della sua astinenza (A, c. 7r-v).

<sup>c</sup> La sigla è resa padre visitatore nella traduzione (A, c. 9r).

indignans volens sibi appropinquare, sed non poterat divina praepeditus virtute. Quod advertente ipsa, gaudioque non modico perfusa, surridebat. Unde magna indignatione excandescens Sathan, terga vertit impatientibus verbis et actibus, recessit, sed cum feria sexta sequenti solita rapta fuisse extasi, soror Concordia Febrensis, mulier utique eximiae virtutis et sanctitatis, cum in atrio quodam esset in summitate loci, ubi pannos solebant soli exponere ad siccandos, vidi magnam demum multitudinem super tectum veluti examen apum totum aerem obscurans. Ad quod prodigium mota, fixae intendebant in illud.

Et ecce in illius obscuritatis medio lucem videbat fulgentem, quam intuens diligentius, clarissime perspexit angelum Dei esse, vexillum Christi Iesu in manu sinistra tenentem. Dextera vero manu baculum quendam gerens, quo circumcirca aliquantulo temporis spatio sese girans demones illos expellebat a tecto. Qua virtute demones ipsi perterriti, frementes et strepentes, discenderant a loco aliquantulum elevati. Et defendens soror illa in aulam inferiorem adhuc diligentius perspiciebat. Et clara luce vidi turbinem illum demonum in aerem resoluti penitus a loco fugatam.

Accidit iterum anno tertio suaे consignationis, die 23 iunii, nocte videlicet Ioannis Baptistae, ut pernoctans contemplationi, extasim sibi domesticam pateretur, qua consilium a divino expectaret oraculo: si videlicet quod affectabat ex divina voluntate procederet an tentatio quaedam contra eius nutum suum animum molestaret. Dominumque simul et Baptistam rogavit ut signum pro desiderio si bonum esset ostenderet. Quanta hic benignitate, aut Dominus, aut Precursor [283] annuerit oranti, sequens indicavit eventus. Aderant mala quinque in suo confinio deserto, et unum illorum ante Praecursoris imaginem, quod solidum et recens visum fuit in mane cruce quadam in parte superiori partitum, subtilissima tamen scissura ut nec cultellus penetrare valeret. Ex cuius crucis medio, ubi videlicet cancellabantur scissurales lineae, arborem vel plantulam quandam exortam viderunt sorores quamplurimae. Vidi et confessor, vir equidem integerrimus, sed dubitans ne in eius sanctitate testimonium plantula vel malum illud e coelo signatum produceretur in lucem, aut conservaretur reconditum sub terra in quadam olla, illud idem sepelivit.

Ex quo divina sic disponente virtute, plures plantulae prodierunt, quas oculis propriis vidi die tertia mensis augusti MDVI, et in die Annunciationis Virginis quo mihi illud donavit. Vidi etiam magnificus dominus Antonius<sup>d</sup> Iustinianus et Hieronymus Gabriel procuratores.

<sup>d</sup> Amon nel testo.

De spiritu autem prophetiae quo repleta erat, multa dicenda occurrerent, quae de absentibus rebus, et arcanis, et reconditis mihi sepius quamvis invita quodam modo patefecerit. Sed de multis haec pauca subnectam.

Vidi in decima die augusti 1506 imaginem quandam Salvatoris miro artificio depictam, quae non minus augusta quam pulcherrima omnibus recte iudicantibus videbatur. Quam prospiciens, subito mihi occurrit illa, quae a coelo aliquando allata est orante Sancto Luca, ut eum dirigeret ad pingendam imaginem expressam Saluatoris quam flagitabat pia mater, sed cum plures fecisset, et nulla approbaretur a Virgine hanc pictam virtute coelesti cum afforet, dixit Beata Virgo: «Vere haec est imago filii mei, quae nunc est in Sancta Sanctorum, in Sancto Ioanne Lateranensi». Volens itaque periculum rei facere, 19 die augusti misi ipsam imaginem quam commodo acceperam ipsi ancillae Dei, ut quid sibi videretur de ea diceret. Sciebam namque ipsam aliquando Christi Iesu faciem vidisse, quam aliquantulum prospiciens abierat et eam reliquit sororibus contuendam. Et vocato confessore suo [284] in partem dixit: «Dicatis nomine meo fratri Francisco, cur me tentat? Scio enim cur imaginem miserit et super quibus vult me interrogare. Hoc tantum habeat a me: quod imago illa extracta est ab imagine quae est Romae, quod pro certo habeat, nec ultra me interroget. Nec curet multum de imaginibus pictis, sed contendat simul nobiscum ascendere ad contuendam faciem illam veram in patria coelesti». Et cum sciscitaretur confessor, quis sibi dixerit quod erat extracta ab illa imagine quae est Romae, respondit: «Nullus mortalium dixit mihi: tamen id scio pro certo. Nec ultra me interrogare velitis amore Dei».

Sequenti vero nocte cum se sopori dedisset et quasi usque ad medium noctem fessa, somnum protraheret excitata fuit, et vocata ad oratorium suum, et nimis solicitata, obediens ancilla Christi surrexit et oratorium intrat. Et ecce in ipso introitu, visio quaedam mirabilissima sibi fuit praeostensa. Qua commota subito genu flectens lacrymis prae dulcedine abundare coepit. Quae visio usque ad horam duodecimam perduravit, fessa in mane pariter et attonita, scripsit schedulam confessori in his verbis: «Orate, pater, pro me, et commendate me amicis spiritualibus, ut orent pro me. Quia ea mihi occurserunt in nocte praecedenti, quae me ad amicorum spiritualium auxilium confugere coegerunt».

Accedens eodem die confessor ad monasterium sciscitabatur quid esset factum, retulit, sed cum quid viderit interrogasset, respondit: «Multa, pater, retroactis temporibus vidi, sed nunquam similia. Non possent, pater, centum, non mille doctores exprimere vel minimam partem». «Dicas tu», ait confessor. «Non licet, pater», ait, «Non licet haec homini loqui. Transcendent enim omnem facultatem».

Altera die hoc idem mihi retulit, et cum cogerem eam ad dicenda quae viderat, idem mihi respondit: «Non possum, pater mi, non possum». Sed cum perseverarem pulsans et interrogans, et praecibus multis et praecepsis impellens, cepit paucula verba de gloria paradisi loqui. De ea enim fuerat visio sibi monstrata. Et tunc tenerime, et dulcedine [285] quadam correpta in singultus et lacrymas prorupit largissimas, strepitu quodam in gutture veluti ossium fractione, quod et alias senseram, cum de huiusmodi divinis loqui conaretur. In tantumque fuit spiritu et viribus resoluta, ut nihil penitus ulterius dicere posset, nisi haec tantummodo verba: «Non totus mundus exprimere posset ista. Et ego si ulteriore conatum darem, deficerem». Unde promotus et in partem satisfactus, ad alia declinavimus sermonem.

Quid enim scriptum erat in breve illo quod angelus gestabat in manibus quando sibi cum serenissima coelorum Regina apparens fluxum laterale restituit, perquirere cepi. «Non possum – inquit – non possum. Dulcia nimis verba inibi scripta erant». Sed diligentia subtilissima circunduxi. Tandem hoc eius ore non sine magna extraxi difficultate, quia videlicet scriptura brevis eius laudes continebat. Sed cum adhuc curiosius rerum sacrarum perscrutator quis esset tenor perquirerem, respondit: «Quando Roma veniens in Urbino cum sanctissimo viro fratre Antonio de Monte Melono alloquereris, sciscitaris: cur servi Dei gratias sibi a Deo concessas tanto studio conentur recondere? Quid respondit tibi? Nonne dixit eas fore occultandas pro viribus?».

Deum enim testor nulli declaraveram verbum, quod semotis testibus humanis inter nos secundo kalendas iulii, die videlicet commemorationis sancti Pauli, habueramus. Perquisieram enim a praedicto patre multa, inter quae, quid de quadam persona quae tales videbatur habere gratias sentiret. Et ipse: «Optime se habet, fili, adeo enim est opus», respondisset. Subiunxi: «Cur tam reniteris huiusmodi declarare?» Respondit: «Scias, fili mi, dona Dei hac conditione referre, quae custodita et coelata conservantur, propalata autem desperduntur». Recoluit enim haec, quae nos secretiori sermone contuleramus.

Admirans itaque super huiusmodi, quae omni admiratione digna censemur, «Quomodo – inquio – scis, quid mihi dixerit frater Antonius?». Respondit: «Scio – inquit – pater. Multo item tempore pro me orat». Cui et ego: «Commendavi te orationibus suis, promisit pro te orare». Et illa: «Gratias ago de commendatione facta tanto viro. [286] Sed multo antequam me sibi commendasses, pro me orabat».

Confessori autem, et aliud nescio quo proposito, declaravit quod videlicet saepius in extasi sua habet cum praedicto patre Antonio de subtilissimis rebus colloquium. Unde et hominis effigiem expressit, quem nunquam viderat.

Et cum primo die martii anni praedicti repeterem ea quae soror quaedam mihi de ipsa particularia dixerat, quam tamen nunquam viderat nec cognoverat, dixit: «Scio ubi est soror illa», et nominavit mihi monasterio. Sed cum perquirerem quomodo sciret, respondit: «Oravi aliquantulum, et declaravit mihi fratri ubi illa soror erat». Sed cum nomen perquirerem noluit ultra declarare.

*De oratione et collustratione divina.*

Cum multoties serenissimus princeps dominus Leonardus Lauredanus commisisset ut se suamque rempublicam orationi eius commendarem fecisset, nonnullaque reportaverim de eius eventu, tandem, cum die 24 novembris 1506 commendassem strictissime, nocte sequenti oranti representatus fuit, nebula quadam involutus, stans ante eam maestus aliquantulum, ut erat quibusdam importantissimis negotiis perplexus et videbatur sibi quod cogeretur ad orandum pro sua sublimitate. Quod et fecit, et quanto magis orabat, tanto magis dissolubebatur nebula ut et facto comprobatum est. Et haec visio per horam duravit.

Cunque esset factus chorus novus intus et foetor quidam, aut ex sepulturis aut aliunde nescio quo proveniret, ita ut molestaret sorores et psalmizzantes. Quibus Dominus Iesus providere curans, confessorem inspiravit ut sibi praeciperet quatenus accepta communione illuc se conferret ad suscipiendam superventuram extasim ubi missam audiebat, in tuguriunculo quodam prope chorum. Quo se recipiens etiam in nocte dormire curavit, et cum prima [287] nocte ante somnum in oratione pernoctaret, magnum persensit strepitum in ecclesia et in choro, ut etiam ipsa aliquantulum perterrita ad sorores concenderet. Et inveniens dormitorium clausum ad semetipsa reversa, ad melius auxilium confugere statuit. Rediit itaque ad cellam et orationi iterum se dedit, dicens: «Tu scis Domine Iesu quod huc obedientia veni, et illa fretus perseverabo, adiuva me». Et in extasim deducta aliquandiu stetit. A qua restituta nullus ulterior strepitus auditus est, nullusque foetor, sed ucusque quies, et silentium et odor suavissimus per totum chorum diffusus, et aliquando maior et aliquando minor, continuus tamen semper sentitur.

In secunda vigilia Nativitatis, dum soror Concordia infirmitate quadam praemeretur, sensit matrem loquentem ad ostiolum quod claudit eas a quaestuariis, rogavit ut portaretur ad ostium, quo matrem videre posset. Quo portata et aperto hostio, vidi matrem devotissimam totam splendentem. Cui astabant duo angeli ex utroque latere unus. Et dixit devota filia: «Scis mater, quae cupio», «Scio – inquit illa – o filia. Vade ad quiescendum», et benedixit illa. Postea in vespere misit ei pomum per sororem Agnetem,

dicens: «Date pomum hoc sorori Concordiae». Mirabile dictu, illa quae nullum cibum, maxime panem, comedere poterat nec retinere, pomum illud cum pane comedit, et confortata cibum ipsum retinuit, et pristinae sanitati fuit restituta.

Sed quae expertus fuerim super nepotem meum Paulum Georgium, filium quondam magnifici domini Hieronymi equitis, et quanto spiritu collustrata fuerit quantumque eius voluerint praeces subiectam.

Volui, ut supra diximus, in mense septembbris anno 1506, guttam aliquam liquoris albi super lineum pannum effundere, ut super infirmum nepotem praedictum laborantem iam multis annis morbo gallico periculum aliquod facerem, et clamaverit illa, ut supra notatum est: «Non facies». Tandem cum diceret: «Volebas facere super infirmum experimentum?», interrogavi de quo infirmo, respondit: «Eum non cognosco: bene scio iam». Sed dixi: «Roga ferventer pro hoc infirmo». [288] Respondit: «Rogate Dominum, qui haec omnia mirabilia perpetratur, ut praecipiat, ut orem, et exaudiat».

Oravit aliquibus diebus. Et cum interrogarem quomodo res se haberet circa nepotem, respondit: «Bene, pater. Nam Deus mihi eum apposuit ante oculos, cum magna cordis satisfactione, in modum ut videatur quid exaudire dignetur». Ad nepotem accessi, sciscitans quomodo se haberet. Respondit: «Bene, nuncque melius, immo non longe melius quam aliquando me habuerim, quibuscumque medicinis vel unguentis usus fuerim». Et sic melioravit per aliquot dies.

Tandem post quindecim dies vel circa ad ipsum reversus, sciscitatus sum super negotium nepotis, quomodo se haberet. Dixit: «Nolle te contristari, pater, et ego non tristabor de voluntate Dei tui», iam confirmare me statui. Et illa: «De sanitate corporis, pater, non est amplius loquendum. Non expedit animae suae, nec erit possibilis, hinc pro anima rogabo libentissime, pro sanitate autem corporis nihil».

Vir item quidam nobilis dominus venetus Marinus Georgius doctor magna impulsus cognatae instantia, coegit me ut virginem hanc constituerem intercediticem pro ipsa cognata infirma mente<sup>e</sup>. Quod cum facerem, ipsa oravit, et patri confessori sciscitanti quid de infirma muliere succederet, quasi nolens, respondit: «Deo sic iubente, non evadet, pater, iam sententia data est». Rogavitque patrem ut nemini diceret. Sed obedientia superiori astrictus, quae habuit coram domino Marino retulit. Visa fuit sanari mulier, sed non longo post tempore illa eadem infirmitate abiit<sup>f</sup>. (Et hic etiam erant multa reponenda.)

<sup>e</sup> su infirmitate cancellato.

<sup>f</sup> A aggiunge non senza gran dolore di tutta la casa.

[289] *De devotione eius ad Sacramentum Eucharistiae.*

Tantus sponsae fidelissimae ad coelestem sponsum fidei amor, ut saepius inter se dulcibus fruerentur aspectibus, dulcioribus recrearentur colloquiis, sanctissima amoris insignia redderentur. Quae abscondere affectuosissima sponsa non valens, aliquando conabatur exterius ultra quam decreverat demonstrare. Tantus enim amor sponsi eius praeoccupaverat cor et mentem, ut cum de eo incideret sermo, aut de aliquibus eius devotis aut compassivis gestibus statim in eius divos rapiebatur amplexus, relinquens animal suum stupidum et suo domino privatum veluti patre orbatum charissimo, in singultus rumpebatur et lachrimas aut deficiens semimortuum reddebar. Et ut alia de multis subnectam, haec vel pauca piis fidelibus legenda exponam.

Cum enim ad thalamum penetralium in sacramenti speciem sponsum debebat admittere, tot eas prius praeocupabat lachrimas, tot singultus, tot cordis suspiria, ut semper agoniam prius pateretur dulcissimam, ita ut etiam coram sacerdote volenti sibi sacramentum praebere, continere non valens per tertiam partem horae et aliquando per dimidiam laborabat, ut vires prae amoris teneritudine sparsas colligeret, quibus posset dulcissimum hospitem recipere. Quo accepto magna cum reverentia et affectu speciem panis nullatenus sentiebat. Sed statim in liquorem suavissimum mutatum sacramentum per gutur velut argentum vivum velocissime percurrebat, at saepius mihi retulit et affirmavit, tanquam si curreret sponsus ad thalamum, quem praeparaverat devotissima sponsa. Sed cum talem hospitem suscepisset, cum hominibus stare non poterat, unde velocissimo gradu ad cellam currebat, quam aliquando sequebatur nutrix eius et ministra ne deficeret in via. Et vix cellam applicaret, statim mortales et animalem hominem relinquens, ad coenam concendebat cum illo, qui ait: «Si quis [290] aperuit intrabo et coenabo secum et ipse mecum». Quo simposio torrente voluptatis ebria, in mentis excessus perseverabat per diem et eo amplius, quoisque sanctam ebrietatem digereret. Sic enim faciebat de more cum illum vivum et coelestem panem assumeret. Caeteris vero diebus quibus non communicabat, etiam dum videre<sup>g</sup> sponsum sacramentali veste amictum deberet, aut aliquid in missa audiebat de sposo cum dulce verbum aliquod cor sibi confixum aut conglutinatum resolvebatur nimis in lacrimas et singultus admodum, ut si missam sine strepitu audire vellet, locum oportuit pro ea facere separatum, unde per fenestrulam quandam audire et sacramentum videre posset. Quo loco multoties agonizabat, multoties lachrymis replebat et compressis gemitibus ne astantes turbaret.

<sup>g</sup> videret nel testo.

Quot enim verba spiritualia audiebat, tot sagittae suum penetrabant conglutinatum iam cor crucifixi amore et sponsi Christi Iesu. Hinc a choro atque officio absoluta fuit a Christo, postea a praelatis, cum non posset nec psalmum quidem perlegere tantum verbis commovebantur, aut memoria divinorum quibus semper videbatur coniuncta; ideo sibi ultra opus non erat verbis, quibus mens humana corporis adiuta sensibus corporeis sublevetur adminiculis. Nec solum auditis verbis divinorum officiorum sublevabatur *sxtam* in Deum, sed cum de aliqua re devota fieret sermo aut a praedicatore aut legeretur aliquid coram ea.

Unde constructo loco pro missa audienda, cum dixisset confessor: «Aptus erit locus ille, ut illuc vadant sorores postquam communicatae fuerint, fuit Christus post communionem, Montem Olivarum concendit. Unde volo quod vocetur Mons Olivarum». Quibus auditis, statim cum Iesu, qui montem illum frequentare solebat, rapta fuit. Ubi per horae spatum stetit, postea lacrimans ad animalem hominem est reversa.

Et ut prosequamur quae de ista communione quam devotissime faciebat accepimus, hoc quoque declarabimus quod in monasterio erat quaedam soror Concordia nomine, [291] mulier utique devota et bona, quae pro elemosyna et servitiis sororum exibat. Cum esset in ecclesia tempestivo tempore, videlicet quo confessor eam communicabat, observavit factum. Lacrymas enim effundebat devotissimas antequam sacramentum reciperet in singultumque aliquamdiu prorumpebat, ita ut per aliquod spatum expectaret confessor cum sacramento ante fenestrellam quoisque videlicet transiret commotio. Hoc iterum praedicta soror vidit duos angelos, alter quorum ex uno, alter vero ex alio latere ostii astabat. Et cum per ostiolum manu introduceret sacramentum confessor, intrarunt et angeli, qui ad eam accedentes serviebant ei, immo Christo Iesu in ea, sicut post victoriam demones, et baptismum ad suum dominum accedentes fecerunt, ut Evangelista narrat. Serviebant etiam sponsae ipsius Christi Iesu illi qui sunt administratorii Spiritus in ministerium missi. Unde praedicta soror, dum devota mater sacramentum assumpsisset et de more prepararet ad cellam, ut solitae devotioni et excessui vacaret, et transiret per porticum ubi ipsa praefata soror aderat, vidit duos angelos sustinentes eam et portantes manibus, ne iam sensibus remota offenderetur vel pedes. Ita ut videretur quod terram non tangeret sed, ut erat veritas, ab angelis portaretur.

Et parum post simile quoddam vidit praefata soror. Nam dum per illiago<sup>h</sup> transiret, post sacramentum acceptum, sorore Ursula comite, quae rores suaviores in quibusdam vasis componeret, vidit eam lucentem

<sup>h</sup> A, c. 19v: liago, cioè terrazza.

duobus comitatam angelis, Ursula vero minimae vidit. In eius testimonii corroborationem veniunt sorores pene omnes quae saepius etiam, dum plagatos haberet pedes, viderunt eam non ambulare sed quasi volare per domum, nec poterat comprehendti si pavimentum tangeret.

Observavi et ego multoties quando ad me veniebat, in cuius adeventu nec pedum strepitum, nec motum sentiebam, nisi aliquando respirare.

Hoc etiam mirabile in vigilia Purificationis accidit: quando ego eam propriis manibus communicavi vidi enim et audivi singultus et lacrymas, quae prae devotione fundebat quamplurimas antequam sacramentum acciperet. Quo accepto ad tuguriolum [292] suum sese contulit statim velut columba gemens, in contemplatione et commemorationem eius qui instituerat et se tradiderat. Ubi statim ab extasi correpta, in ea usque ad subsequentem festivitatem duravit. Et cum decimo quarto die sequenti interrogaverim eam quomodo staret, dixit: «Nescio, pater, unde hoc mihi obvenerit. Post communionem enim illam factam in vigilia Purificationis, veluti nebula quaedam saepius per os meum discurrit nimia suavitate, quae tandem in liquorem videtur persolvi, quo tantum satra et referta relinquor, ut ultra cibum sumere non valeo, et semper per os meum odor mirus effunditur». Admirans ego, iussi eam exsufflari versus me. Tanto odore, Deum testor, flatum suum venientem in me dimissum refertum persensi et aromata omnia transcendere videretur. Iussi iterum expirare et maiorem adhuc odorem persensi. Subiunxit: «Non tantum me confortat, sed cibat odor ille. Unde usque ad festum Resurrexionis, his cibis contenta fuit, quatuor videlicet malis, tribus nucibus, aliquibus granis uvae orientalis et medio brazadello».

Et iterum cum in vigilia Annuntiationis sacramentum assumere deberet, et antea per quatuor dies doloribus cordis et intestinorum angeretur quammaximis, nullam prout solebat praeparationem facere potuit. Unde stimulo quodam deducta, abstinere quasi statuerat. Sed hortata ut in Domino confideret, clausis corporeis oculis, mentis lumina ad Deum et Christum Redemptorem erexit. Et statim ante eam praesentata fuit crucifixi imago, quae sibi dicere videbatur: «Accipe misericordiam si vis», dulciter ad sibi oblatum munus misericordiae suscipiendum invitans. Et statim illa, manibus iunctis genibusque flexis humillime et devota mente crucifixum adorans, ore autem ipsius corpus suspiciens, vere recordabatur eius transgressionis et fellis. Unde callescens in se anima sua quo ad operationem, in sensibus corporeis illos penitus relinquit, et coelesti symposio inserta usque ad mane diei sequentis refocillabatur.

[293] Sed cum feria quinta maioris hebdomadae prae devotione voluerim manibus propriis eam communicare, hoc idemque ipsa desideraret, in

crepusculo dedi sibi sanctum corpus dominicum existenti in suo oratorio genibus flexis. Quo accepto, statim post cancellatis manibus, rapitur ad mentis excessum; quo stetit usque ad diem Resurrexionis, parum post noctis mediam, hora videlicet septimam.

Item cum per multos dies passa fuisset fluxum sanguinis et per virtutem sanguinis Christi mirabili modo sanata, ut suo loco narratum est, accensaque fuit divino amore supra modum, accidit ut ipsa ad verbum narravit dicens: «Paters, post miraculum et flammarum amoris permisit Deus ut hostis antiquus extenderet vires suas in me, ut cognoscerem quod in me nihil esset nisi miseria. Et quia ille accensus amor non erat a me sed a divina bonitate, invasit igitur me inimicus tam acerrimo bello infidelitatis, ut videret penitus destituta et quia nunquam spiritualia degustassem. Et invalescens tentatio usque ad noctem praecedentem ad diem communionis, quae erat fienda in vigilia Visitationis Mariae, tantum invaluit tentatio maxime de sacramento, quod nisi Dominus adiuvisset me, paulo minus habitasset anima mea in inferno infidelitatis. Videbar enim mihi undique intonare in auribus. “Quid vis facere de illa hostia? Est panis frumenti simile. Noli credere quod ibi sit Corpus Christi”. Tandem adiuta divina gratia dixi: “Inimice perverse, hoc unum scio: quod filius Dei pro salute animarum passus est passionem et mortem, qui et dixit ‘Accipite et manducate, hoc est corpus meum’, cui credere volo, et in hac fidem suscipere sacramentum”, quod et feci.

Sacramento igitur recepto, non panis, sed argentum vivum mihi videbatur descendere ad stomachum, et parum post iterum sensi nescio quid vivum ascendere a stomaco ad os, et accepto sudario, os tergere volui, et aspexi, et vidi in sudario medium partem hostiae fulgentem velut argentum. Quam intuens summa admiratione, [294] audivi vocem dicentem: “Quid an ultra dubitas de sanguine, quem habes in manibus et de sacramento hoc?”. Et his dictis, vidi caput crucifixi insculpti distillare sanguinem velut granum milii, partemque illam hostiae contrahi, sicut membrana ad ignem, et reducebatur in formam sudarii, et venae omnes videbantur sanguine repleri. Et tunc omnes gratiae, quae fuerant per tempus suspensae, mihi restitutae fuere. Et tanta fui stabilitate firmata circa hoc sacramentum, quod non amplius nec dubitem nec credam, sed teneam firma et certa fide».

Et diffusus est sanguis super sudarium, ut oculis propriis perspeximus, die tertio iulii, in crastino videlicet Visitationis beatae Virginis ad Elisabeth. Quod hucusque reconditum est cum alio sacramento.

Tanto sacramento ipsa efficiebatur, ut qualibet sexta feria pre devotione n<sup>\*\*\*i</sup> anno suae conversionis affectabat. Sed videns quod haec singularis

<sup>i</sup> In A, c. 23r: dal primo anno.

operatio aliquam posset generare turbationem sororibus et materiam elationis praebere, cessavit, vacans illa diu contemplationi. Sed quod ob reverentiam cessavit Christi ancilla facere corporaliter, concessit sibi Sponsus colestis spiritualiter. Nam ab illo tempore citra, semper sexta feria communicata fuit spiritualiter et interius refecta suavissimo ferculo. Sed occurrente quadam solemnitate, cum in suo excessu de more communicaretur spiritualiter, restituta ad animalem vitam vidiit oculis corporeis in cervicali partem hostiae quam lingua exposita devotione recepit.

Anno autem conversionis suaे \*\*\*, videlicet 1508, cum deberet in solemnitate sancti Francisci sacramentum eucarestiae accipere et confessor appropriaret ad fenestram, vidiit aliqua hic subticenda. Post parum, quidam maiestate gravissima sibi visus fuit cum luce immensa, qua subrepta nec confessorem communicantem, nec aliquid aliud circa se vidiit aut sensit. Sed alio subiecta ab illo gravissimo viro, ut sibi videbatur, sacramentum fuit sibi collatum cum indicibili animi iucunditate, qua extasi aut raptu alia multa vidiit quae non licet homini loqui<sup>i</sup>.

[295] Sed ut ad missam redeamus, accidit multoties quod binas videbat in manibus sacerdotis elevantis hostiam, alteram quippe in manibus, ut solent tenere sacerdotes, alteram autem descendenter ex eius manibus versus altare, unitam tamen in ultima superficie cum superiori, veluti si ostrea quaedam esset aperta in duas partes, quarum altera sursum, altera vero tenderet deorsum. Similiter videbatur duplicari particula quae ab hostia dividebatur a sacerdote. A calice vero ut sanguinem rutilantem videbat, quod cum accideret in vigilia sancti Laurentii anno currenti 1506, quo die primo missam ibi audivit, ultra solitum nimia fuit consolatione repleta. Sed cum interrogaretur a confessore quid significabant illae duae hostiae et consolatio illa, nolebat respondere. Solicitata autem ut diceret si altera illarum ipsa communicata fuerat, respondit: «Sufficit, pater, intellexisse fundamentum rei. Nec ultra me interrogetis». Unde iam expertus confessor conclusit ipsam fuisse divinitus communicatam. Simile quondam accidit in vigilia Assumptionis sequentis pluribusque aliis solemnibus diebus aut devotis vigiliis.

In die vero sanctae Luciae, tertiodecimo videlicet die decembris anni 1506, cum missam audiret et contemplaretur Christi Iesu imminentem Nativitatem, vidiit super patenam, posquam sacerdos consecraverat, puerum nudum cum diademate splendentem, nimium complentem totam patenam, quae perdurabat quosque sacerdos acciperet patenam pro ceremoniis

<sup>i</sup> Segue in A, c. 23v: Lo scrittore havea lasciato molte carte bianche in questo luogo.

faciendis. Et sic vidit quotidie usque ad diem decimum septimum eiusdem mensis et sequentibus diebus usque ad festum Nativitatis pluries.

Ut autem cognoscerem utrum crucis signum propter hoc negotium datum fuisset a coelo an non, volui hoc indicio comprobare. Iussi enim custodiri eam ne quanquam alloqueretur sibi post redditum antequam examinaretur a nobis.

[296] Volebamus enim statim super crucem interrogare quid diceret antequam edoceretur de apparitione sensibili et quid volebamus facere. Ipsa spiritu preventa ante nostram interrogationem effectit. Hora enim septima, statim videlicet post matutinum, sensibus restituta ianuam aperuit et sororem Elisabeth, matrem novitarum, cui ex officio incumbebat scribere necessaria pro monasterio, vocavit, dicens: «Commissarius praecepsit mihi, ut de negotio sanguinis aliquam reportarem conclusionem, ut sibi obediam ante oblivioni tradantur mihi demonstrata: scribe quae dicam». Et scripturae continentia haec erat et mihi et confessori directa:

«Venerabili patri, die lunae in sero nimis tribulabor propter causam nostram adeo quia per duas horas steti mente suspensa rogans bonitatem divinam, ut certificaret matrem circa praedictam causam. Et fui exaudita quamvis indigna. Quapropter in corde sensi maximam certitudinem. Postquam subito vidi sudare ampullam in qua fuerat sanguis, unde magis adhuc fui confirmata, tamen tacui expectando quod Deus ostenderet mihi rem clarissimam, ut fecit. Cuius rei tu, pater commissarie, potes reddere bonum testimonium. Cum rogaverim te feria quarta in sero, ne contrastaveris propter ea quae dicta sunt. Unde clementia divina non respiciens peccata mea, iussit me praesentari conspectui divino, ante quem porrexi preces cum tanta efficacia quantum mihi fuit praestitum ab eo. Nam certa sum quod a miseria mea non procedebant, sed a superabundanti charitate illius, qui dignabatur me exaudire. Unde praecibus omnibus successive fuere mihi responsa data.

Et primo petii si hic sanguis et liquor datus mihi fuerat deceptione diabolica. Huic dictum fuit: “In hac re non se intromisit ingenium creatum, aut ars diabolica sed solum providentia mea”.

Iterum petii, si hoc erat datum in manibus meis ad continuum meum martyrium, aut ad animarum salutem. Et huic responsum fuit: [297] “Hic sanguis non est datus sicut ille effusus in Redemptione, in qua fuit necessaria mea passio et mors, cum per alium redimi non potuerit humanum genus. Sed in presenti dedi sanguinem meum miserescens humano generi, a quo tantum offendor, condescendens petitionibus continuis, quibus rogabar ut facerem misericordiam cum peccatoribus. Exaudivi te id maxime, quia tuum desiderium procedit a me. Unde meum totum quod factum est. Sed scias,

quod sicut sum misericors sum etiam iustus. Unde potieris toto tempore vitae tuae; et qui adhibuerint fidem, obtinebunt perpetuam remissionem peccatorum. Sed qui erit incredulus, ipse viderit”.

Tunc subiunxi quod deserat tanti ponderis, quod humanum ingenium capere non poterat. Quapropter petebam aliquod signum. Et dixit: “Sicut ingenium humanum non potest capere et intelligere potentiam et providentiam meam, sic non potest comprehendere misericordiam meam. Et scias quod sicut ego confirmavi in coelo, volo quod confirmetur in terra, et diffiniatur et approbetur a Sede Apostolica, et ego defendam hanc causam. Annuncia ergo sicut Maria Magdalena annunciavit meam Resurrectionem. Sic volui quod tu primo annunciales hoc”.

Post hoc apparuit sanctus Franciscus genibus flexis ante conspectum divinum, referens, ut videbatur, gratias Deo a quo et benedictionem recepit. Post hoc subito apparuit pulcherrima crux mirabilis splendoris et magna nimis, ita ut oculi mei non possent prospicere terminum illius. Et in capite dictae crucis erat beatus Ioannes Baptista; in brachio dextro sanctus Heronymus; in brachio sinistro sanctus Augustinus; in pede sanctus Gregorius et sanctus Franciscus. Et postea venit magna multitudo spirituum circa crucem cantantium totum “Te Deum Laudamus”, et crux circundabatur ab uno circulo rotundo. Et dictum fuit ad me: “Circulus iste mundus est, qui tandem illuminabitur per hunc sanguinem”. Postea immediate praenominati spiritus cantabant hymnum: “Vexilla regis prodeunt”. Et in hoc cantu levarunt crucem tantum alte, quam disparuit ab oculis meis. Et quando levabatur crux, apparuerunt quatuor nebulae quae cooperuerunt praenominatos quinque sanctos, et disparuerunt omnia».

Sed cum ultra haec interrogarem quid vidisset in illo raptu triduo. «Multa – respondit – [298] et innumerabilia». Et cum persisterem, interrogans quae essent, dixit quod multas imaginarias apparitiones conspexerat, ex quibus propriis manibus \*\*\* pinxit et Dei ordinatione subscripsit. Sed quid significant declarare plane nescivit. Nam misteriis Patmiis Ioannis assimilare videntur. Forsitan suis locis declaranda, ut de multis aliis sibi prius obscure praesentatis factum est. Paucula tamen de multis, quae exprimi patiuntur, subscribam, quae vix excerpere potui.

«Vidi – inquit – Dominum in maiestate, et omnes stantes ante thronum divina voce cantabant, Domini sedentis in throno, parati obedire mandatis, in ipsum eundem summa cum auiditate respicientes, nec poterant ut videbantur satiari. Vidique gloriosam Virginem consendentem aliquantulum supra filium. Et in dextera eius beatum Ioannem Baptistam, in sinistra vero beatum Franciscum, non parva sacramenta de dominica passione sermocinantem. Quomodo videlicet misericordia et amore passa est, quomodoque voluit in

hoc sanguine novam misericordiam ostendere. Cognovique tunc in paradiso festa celebrari Domini et sanctorum, et solenni memoria recoli liberationem patrum ex inferioribus clausis et triumphatoris ac liberatori introitum in coeleste regnum.

Sed praecipue cognovi festiva gaudia celebrari in memoriam Resurrectionis summi regis Iesu Christi. Videbarque mihi videre ecclesias nobilissimas, oppida et atria ex diversis lapidibus praetiosis, in quibus variis modis celebramus gaudia. Multosque videbam sanctorum et angelorum ordines multigenis instrumentis insonantium, atque minore divisa ante thronum principis presentatae addentes suavissimos cantus suavesque fumigationes; sed haec pauca sunt respectu eorum, quae non licet homini loqui».

Cum autem die dodecima aprilis MDIII<sup>k</sup> ordinata esset consultatio fienda in domo patriarchali Venetiarum a domino Patriarcha et pluribus aliis praelatis super huiusmodi negotio, nocte praecedenti apparuit sibi quidam puer, circa annorum quatuor, sibi dicens: «Veni mecum: haec loca quae tibi ostendam, te transire oportet». Et ostendit sibi lacum magnum pontesque multos, distantibus trabibus erectos, nullis munitos tabulis. Et dixit puer: «Transi hos pontes». Et cum recusaret timens, coegit [299] eam. Sed ipsa periculum videns, petiit adiutorium a Domino, dicens: «Domine Deus in te semper fidem et spem meam collocavi, adiuva me in hac necessitate». Et ut videbatur sibi, accepit puerum in brachiis et coepit transire pontem. Sed nimis videbatur laboriosum transire. Unde cum magnis lacrymis et praecibus transibat et erat puer ille sibi nimis onerosus. Tandem transivit pontes omnes et ad pratum amenissimum applicuit, et ibi puerum depositus, qui habito secum sermone pulcherrimo disparuit. Restituta vero ad sua, non poterat verborum pueri recordari, sed magnum gaudium in suo derelictum fuerat corde, quia res huius sanguinis sortietur bonum exitum, quamvis tribulationes et labores non deerunt, antequam plena veritas elucescat.

Eodem igitur die in Patriarchatu facta fuit huius negotii consultatio, qui omnes decreverunt rem solicitandam fore cum reverendissimo domino Dominico Grimano protectore. Aderant enim: dominus Antonius Surianus, patriarcha Venetiarum; dominus Bernardus Zanne, archiepiscopus Spalatensis; dominus Hieronymus Trivisanus, episcopus tunc nominatus Cremonae; dominus \*\*\*, episcopus Chissini; dominus Ludovicus Contarenus, prior Sanctae Mariae dell'Orto, qui postea fuit patriarcha Venetiarum; dominus Stephanus Trivisanus, prior Cartusiensis; dominus Antonius Iustinianus, doctor; dominus Ioannes Cornarius, theologiae professor.

<sup>k</sup> errore per MDVII; *vedi A, nota a c. 28v.*

Post hoc vocatus fui ad quoddam monasterium Sanctae Crucis videlicet Venetiarum, ubi multae moniales cum magno affectu expectabant prae devotione audire necnon experiri aliquid de mirabilibus, quae Christus in sua sponsa operari dignatus fuerat. Portaveram mecum sudariolum quoddam aliquibus guttis sanguinis illius mirandi respersum. Quo cum multae illarum signarentur a diversis morbis curatae fuerunt et inter coeteras duae fuerunt sanatae, altera a dolore dentium, altera autem a dolore capitis. Sed aderat quaedam soror Paula, minus aliis credens tamen magis ut periculum faceret quam ex devotione signari voluit sudario illo. Patiebatur enim infirmitatem capitis gravissimam, ut non posset aliquod exercitium facere nisi auscultare sorores in choro psallentes nec velum [300] in capite portare. Mirabile quippe, statim a dolore illo aleviata fuit penitus, ut ea, quae per \*\*\* annos nullum exercitium fecerat, ad communia exercitia rediret, velum portaret in capite et chorum ferventius aliis frequentaret.

Sed cum sextadecima die aprilis solitam extasim pateretur, vidi sanguinem illum nimia devotione venerari.

Die autem decima nona, cum fenestram chori aperire vellet, aliquantulum ascendit sed Deo sic permittente cecidit ex alto, non sine magna corporis vexatione, ita ut semi mortua remaneret. Statim autem cor ad Deum elevans, ipsum per sanguinem illum adiuravit ut sibi succurreret: immediate surrexit et abiit, ad solitaque exercitia rediit, tanquam si nil sibi contigisset quamvis aliquantulum doloris sentiret ex i<sup>c</sup>ctu.

Die vero vigesima prima, cum Paduae loquerer cum illa vexata a diabolo de qua supra tetigimus et sudarium illud mecum haberem, vagiebat demon et clamabat. Voluique de sudario super eam ponere, reclamabat diabolus, et firmabat vehementissime.

Sed vigesima tertia die, cum in solita staret extasi, fuit sertum suo capitii impositum.

Hoc interim mater fratri Hieronymi Maniani, domina videlicet Lucia de Beraldis, infirmatur; quam filius devotis orationibus ancillae Christi commendavit. Et sudarium illud per fratrem suum, fratrem videlicet Bernardum, misit ad matrem, ut crux sibi sudario fieret. Mirabile dictu, statim elleviatam se sensit et compressus humor salsus qui eam molestabat vehementissime.

Trigesima autem die aprilis, feria sexta, cum solito raptui vacaret, Christum vidi vestitum splendore et gloria, in capite vero lucidissimum diadema et ut sibi videbatur eam conducebat per aerem usque ad montem altissimum angustissimumque cacuminis, ubi eam collocavit; et tam angustus erat vertex, ut pedes eius suscipere non valeret sed tenebatur a Christo. Ipsa vero magno cum tremore stabat, id maxime cum videret in radice montis

magnum pelagus maximis agitatur fluctibus. In quo pelago erat quadra crux quaedam magna. Cui dixit Christus: «Per hanc [301] te transire oportet». Quibus dictis conduxit eam super crucem, in qua configi sibi videbatur. Postea conduxit in locum spatiolum et amoenum, ubi post multa amoris insignia iussit vestibus rudibus quas habebat expoliari et vestiri sericum praetiosum et desuper \*\*\* episcopale bystimum. In capite sertum ex lapidibus praetiosis, in pedibus vero caligas albissimas, in manu autem malum ex auro finissimo mira elaboratum sculptura, quod in cruce aperiri videbatur, et quatuor stellae erant una in quolibet angulo illius, sentiebatque cantum suavissimum amenissimaque verba in illo prolatu cantu, unde videbatur accendi mirabili modo cor eius in Deum. Et post recessum tanta in Deum charitas inflamavit cor eius ut videretur ardere veluti facula accensa.

Secunda vero die maii, quae dies Dominica erat, in vigilia videlicet inventionis Sanctae Crucis, attrahere se hora vespertina persensit. Cui attractioni aliquantulum restitit, sed praevaluit spiritus ad orationem eam conducens, ubi ad extasim raptu stetit usque ad feriam secundam hora prandii, in quo excessu dignatus est Iesus Christus suaे sponsae declarare seriem visionis feriae sextae praeteritae de proximo: quid videlicet mons significaret, quid crux quidve omnia illa vestimenta, audivitque tantum suavissimum verborum, quae mihi creditit cum firma promissione secreti quousque viveret.

Sed cum cessaret excessus ascendit ad oratorium ubi collocatus fuerat sanguis, ut colligeret ampullas diversas in quibus aliquando collocati fuerant liquores illi, et vidi eas lacteo sudore perfusas, et descendebat liquor in fundum. Vocat filias et omnibus factum ostendit et sequenti die ostendit confessori. Postera vero confessori simul et mihi. Sed cum commisissem sibi sub pracepto, ut seriem visionis quam habuit in vigilia Sanctae Crucis scriberet, infrascriptam ad me direxit narratiunculam ad verbum:

«Cum in nocte sabbati de vigilia Sanctae Crucis orarem, venit Iesus Christus vestitus clamide ut aiunt apostolico more protecto, tanti candoris ut viderentur oculi offendi, in capite media luna; et apprehenso meo brachio, ducebat in montem altissimum, ut vix possem finem attingere meo contuitu. Iussit tamen ut [302] sursum aspicerem, et vidi cacumen acutum radicemque nimis diffusam. Et iussa sum montem ascendere cum tamen nulla pateret via nec ramus quem apprehenderem, unde angustia opprimebat. Sed praeceundo ipso et me secum trahebat, magno nihilominus terrore concendebam. Sed cum in cacumine essemus, ait: "Haec sunt tribulationes quas substinuisti", sed iussa sum iterum ad ima prospicere, et vidi lacum magnum cuius non videbam terminos, magnis agitatum fluctibus, ut viderentur montes obscuri ipsi fluctus. Et dictum est ad me: "Haec sustinenda sunt tibi. Sed sicut non

potuisti montem sine me scandere, ita nec fluctus hos sine me transmeare”. Tunc praecepit ut descenderem, quod tantum mihi incussit terrorem, ut sermo ad exprimendum deficit, non viderim ubi pedem firmare possem.

Tunc apprehendit me Deus meus et posuit me in crucis medio, et statim quatuor crucis capita sunt in unum conclusa, et ego in medio conclusa. Unde spe et confidentia referta, nullum ulterius fluctum pertimescere videbar. Hinc ad amoenissimum locum ducta, iussa sum vestibus expoliari et novam indui purpuream vestem indicibilis pulchritudinis, subdens: “Haec vestis charitatem inflammatam significat”. Episcopalem postea superinduit bystinum dicens: “Hoc virginitatem signat et puritatem”. In quolibet quoque illorum vestimentorum erat stella in rubro rubra et in albo candida; et hoc declarans ait: “Rubra illa stella sanguinem meum, quem charitate devictus tradidi, significat. Candida vero Matris meae lac purissimum”. In capite autem meo sertum floribus gemmisque ornatum imposuit, dicens: “Quae sustinenda pro tempore”.

In pedibus caligae albæ datae sunt, quae denotarent affectuum puritatem. In manibus autem pulcherrima pila quatuor stellis splendentibus circumdata in modum crucis. Haec ingens pila mundum significat a quatuor collustratum evangelistis, quae collustratio per hunc sanguinem renovari debet. Sed antequam pilam mihi resignaret, aliqui decantati sunt versus, quos occultandos et nullo modo pandendos, non sine difficultate mihi credidit».

In die vero decima octava maii feria, videlicet tertia ante Pentecosten, invasa est a fluxu sanguinis valido, cum febribus et doloribus in toto corpore [303] quae non sine angustia patienter tulit usque ad diem lunae 7 videlicet iunii, quo aucta fuit infirmitas ut vix moveri posset. Pro qua largae fuerunt ante Deum fusae praeces sine intermissione, unde sequenti die cum magna vi et labore cellam superiore ascendit, orans non sine lacrymis ut Deus de ipsa disponeret meliorem partem. His dictis audivit vocem in corde dicentem: «Haec infirmitas de se incurabilis est. Sed intra oratorium et signa te cum sanguine, et sanaberis». Intravit cum tremore, et dicens: «Domine, si tuus es hic sanguis, sanet, sin autem infirmitas augeatur. Nihil tamen de omnibus: fiat voluntas tua». Quibus dictis cum difficultate aperuit cratem ubi stabant tabernacula, et inclinato capite se signavit.

Mirabile dictu. Compressus est fluxus et dolor capitis abiit, et descendit ne dum sana sed robusta et iocunda, divino amore magis solito inflamata, cui sit semper laus et honor.

Die vero vigesima tertia iunii in vigilia sancti Ioannis ad solitum fuit excessum sublevata, quo vidit liquorem natantem super sanguinem crescere et nobis restituta id sensibiliter comprobavit, videruntque sorores, vidit et

vigesima septima die confessor, qui causa infirmae audiendae in confessione monasterium intraverat. Die autem sequenti, in vigilia videlicet sancti Petri, in raptu existens a sancto Petro recepit benedictionem pro se et aliis pro quibus postulaverat. Sed die prima iulii in vigilia Visitationis iterum raptam fuit. In quo raptu a beata Virgine et beata Elisabeth visitata consolataque fuit, quo die sacra communione refecta fuit, quo miraculo annotato in tractu de devotione ad sacramentum eucharistiae.

Die sexto iulii posuit super sanguinem liquorem balsamineum ad grossitiem tergoris gladii.

Die autem tertiadecima iulii apparuit in sanguine crevisse liquorem illum parum ante positum. Et in medio vasis, ubi cancellatio quaedam fit in modum crucis, visus est splendor veluti carbunculi lucentis tam in luce clara quam in tenebris, et guttas aliquas in collo ampullae exire, quod viderunt sorores matres, vidi et confessor simul cum socio fratre Nicolao de Flandra, vidi postremo et ego.

[304] Anno autem tertio post pignus acceptum, salutis autem 1508, in die sanctae Mariae Magdalena, frater Antonius<sup>1</sup> olim suus confessor, nunc autem monialium Sanctae Crucis, instinctu quodam impulsus ad ipsam accessit, dicens: «Non potui me continere quin ad indulgentiam tibi a coelo collatam hac die accipiem huc venire, et mihi Spiritus suggerit aliquid novi in sanguine accidisse, cum sit tertio iam anno quo illum acceperis».

Recordabatur forsitan quae sepius in numero ternario aliqua sibi occurrerant. Accessit virgo ad oratorium, ampullas extraxit, quas iam multis diebus non tetigerat. Et in ampulla liquoris albi vidi guttulas aliquas sanguinis inter lacteum et balsaminum; et sorores vocans omnibus demonstravit. Quae creverunt satis ut omnibus stuporem induceret casus, et usque ad hodiernum diem, vigesimum primum videlicet octobris, perdurarunt.

Hoc etiam silentio praeterire non possum, quod quae fuerint sui raptus ostendit anno 1508: die quinta decima octobris post dominicam appropinquate die lunae circa medium noctem raptam fuit, quo raptu usque ad auroram subvecta, multa et mirabilia vidi distincte et clare de Trinitate deque gloria beatorum, quae tamen distincte non recordabatur cum ad gravantem carnem restitueretur. Sed sibi ipsi in crepusculo reddita, sensit per fenestram puerum ut videbatur duorum annorum, clamare fortiter: «Gratia Pauli, o quam pulchra est gratia Pauli!», sed sic dicebat ut non posset plene verba formare ut videbatur. Sed proferebat tacito secundo: «Quam pulchra gratia Pauli». Quod cum pluries sic combinatim replicaret

<sup>1</sup> Ammonius *nel testo*.

centies forsitan, statuit videre quis esset, respexit per fenestram, et puerum quendam pulcherimum albis vestitum vidit, crine criso, in eam fixis luminibus, quo perterrita, commota, et conturbata sedit. Et post parum puer discessit.

Plura a praefato die usque ad finem ianuarii occurrerunt memoranda. Inter quae quasi per totum illud spatium maxime a festo Omnis Sanctorum usque ad [305] Nativitatem Domini, sibi videbatur dari sacramentum a coelo, ita ut, quando tempus adveniret communionis, praeventa a spiritu et in extasim rapta perdurabat per totam solemnitatem sequentem. Sed cum me cunsuleret, nudius tertius ante Nativitatem Domini de huiusmodi negocio consideratis considerandis tandem dedi sibi consilium, ut quod ecclesia sanctissima immo et instituit non delinqueret etiam si supercoelesti pabulo reficeretur. Consilioque obedientiam addidi, ut omnino pro solemnitate Nativitatis Sacrum Domini Corpus in specie panis iuxta ritum ecclesiae sumeret. Assensit obediens ancilla Christi et promisit obedire praecepto.

Tandem adveniente Vigilia, qua solita erat sacramentum accipere, alias praeveniens hora debita reperta fuit rapta a nobis in coelestium contemplationem. Quod videns confessor condoluit et Deo commendavit negotium.

Adveniente itaque nocte sanctissimae Nativitatis hora quasi sexta, pulsari in cella sua persenserunt sorores, Ursula maxime illa eius nutrix, quae accessit et vocem dicentem audivit: «Dic patri quia iam hora est».

Conscendit confessor cum sacramento et fenestrae applicans fuit a manibus eius sacramentum sublatum, nec singultus aut gemitus aliquos ab ea persensit, quemadmodum ut solita erat, quando sumere corpus debebat dominicum. Sed transactis festivitatibus, cum accessissem ad eam, factum perquirere volui; et tandem repperi quod nec Ursulam vocavit, nec sacramentum vidit aut persensit nisi in spiritu. Quo sublata bono, sibi visum fuit sacramentum sibi a quadam venerabili persona dari. Et factum est ut de coelesti pabulo caelitus sibi dato reficeretur, de excellentissimo Sacramento simul, et patris obedientiam non dimitteret.

Postquam tanta fuit per totam octavam illam iucunditate repleta ut cor sibi iubilare, et veluti argentum vivum per interiora ingenti suavitate percurrere, ut quasi se non valeret a clamoribus continere pree gaudio in tantum quantum cogebatur saltem Deo exclamare: «Non plus Domine, quia sustinere non valeo».

Hoc interim, ut dolor laetitiam mitigaret, infirmatur pater eius clarissimus Antonius<sup>m</sup> infirmitate gravissima, ut iudicio medicorum esset morti damnatus,

<sup>m</sup> Amo nel testo (*errore nello sciogliere l'abbreviazione Ant°*); cfr. A, c. 38v.

et a fratribus [306] sacramenta omnia, etiam extremam unctionem, suscepisset. Et mors expectaretur tunc quando alii de vita eius magis desperarent, misit ad me cedulam, ut ipsi patri Antonio presentarem, hunc habens tenorem: «Pater, ego memoriam semper tui habeo, et s~~c~~ias quod quousque anima est in corpore est spes. Committamus tamen omnia nostra Deo et in sanguinem eius speremus». Et tunc in die videlicet Epiphaniae dum cum monasterium aqua benedicta aspergeret, cecidit gravissime, ita ut ambas tybias conquassaret et genu dextrum de loco aut sede proiectum esset, et facies percussa, et quasi semimortua remaneret, nec movere se aut pedem aut crus dextrum movere aliquo modo posset. Die autem lunae sequenti, tertia videlicet post Epiphaniam, accersivit nos soror Ursula ut consuleret si cyrurgicalum, aut magistrum aliquem, qui genu et crura suo loco restitueret, vocare deberent. Non enim moveri poterat maximumque patiebatur dolorem. Hortatus fui quamvis ex aliis experimentis stimulabar, quod medico temporali non indigeret. At illa: «O pater, hoc non possum facere, obstaculum mihi videtur oppositum. Nullus enim aliquando vidit carnes meas, nec corpori meo carnalem medicinam aliquando exhibui. Insuper heri mihi, Dominica videlicet die, in mane declaratum fuit, quod die tertia martis videlicet ambulabo pedibus meis». Periculum faciam utrum haec revelatio a Deo sit an non. Expectare decrevimus.

Die igitur sequenti cedulam misit soror Ursula dicens: «Laudate pater Altissimum, nam mater nostra sanitati plenissime est restituta, immo et aspectus eius decore roseo videtur ornatus». Accessi ad locum, factum iterum perquisivi et comprobavi omnia. Et de sanatore cum propinquarem haec habui: quod somno coelesti sopita, affuit medicus quidam colestis, qui corpori eius aliquoties tangens suo loco restituit et omnia sanitati perfectae donavit. Interrogavi insuper quid mihi suggesterat Spiritus, videlicet quem petiisset a Domino pro patre suo Antonio<sup>n</sup> portare partem doloris. Affirmavit illa, quamvis mihi crederet sub sigillo quousque viveret.

[307] Sed cum ex ore eius habuerimus, ego frater Franciscus Georgius Ordinis Minorum, et frater Antonius Corandinus eiusdem Ordinis tunc eius confessor, quod vulnus illud laterale in morte consolidabitur, ut nullum penitus possit videri vestigium, debita auctoritate muniti in Dominique gratia freti, statuimus illud oculis propriis cernere. Sed quantum huic voto obstiterit, timens propalare Domini sacramentum, et ne expositam gratiam perderet, testes sumus coram Deo et angelis eius. Tandem devicta praecibus et obedientia conducta, praemissa tamen oratione et licentia obtenta ab eo,

<sup>n</sup> Amonio nel testo.

qui sacramentum sibi crediderat, divina sic providentia iubente, vidimus quod nec sperabamus nec merebamur.

In anno igitur MDVI, die XIV mensis iulii, hora sextadecima et dimidia prope meridiem, apertus est nobis thesaurus pretiosissimus. Apertum enim fuit ostiolum, aut fenestra quaedam in ecclesia, quae est. Ubi genibus flexa, unica tantum comitata soror Ursula videlicet Osmaga<sup>o</sup>, quam multorum suorum secretorum conscientiam a primordiis ipsis semper tanquam matrem est venerata, benedictionem accepit, et latus ipsum ex vestium scissura, qua semper post consignationem illam sanctissimam ad sanguinem colligendum est usa, ostendit.

Quo aspectu, quid cor nostrum persenserit scit omnium conscius Deus. Rubrum enim vidimus vulnus, claritate quadam perfusum veluti rubentem rosam in diei primordio, nuper apertam. Foraminis locus inter tertiam quartamque costam sinistri lateris erat, ubi cuspis incipit cordis, ex quo sanguis qui larga fluit copia egredi coniectatur. Nec videatur legentibus impossibile, quia totum hoc opus a naturae legibus absolutum supra naturam et divinum clarissime ex omni loco conspicimus. Fluit fluxique a tribus annis citra et citra in tanta copia, prout partim oculis propriis vidimus in ampullis et linteaminibus, ut cibus et potus omnis, si totus converteretur in sanguinem, non praebaret sufficientem materiam. Rubet insuper continue nec aliquando congelatur, ut oculis propriis conspeximus, et in dies videmus continue, quod quantum a naturae ordine distet, testent sapientes.

Sed hoc unum quod subinferam, quanti faciendum sit relinquo audientibus iudicandum. Tanta enim fragrantia redolet ut omnium naturae odoramenta excedat. Deus enim scit quia non mentior, quod quando in linteaminibus prius vidi sanguinem, suspicabar [308] ex rei novitate et magnitudine, ne redolentia illa fuisse naturae fulcimento procurata, quamvis caetera multa quae habebam prae manibus huiusmodi suspectui succurrerent. Sed quando vidi sanguinem illum fluere rubicundum flagrantemque odore ne dicam suavissimo tantum sed divinissimo, in quo influxu nulla poterat interesse ars nullumque condimentum odoris, nunc omni fugata ambiguitate poteram si mea peccata non obstitissent, divino perfrui gaudio, divino perfusus odore, divino confortatus aspectu, archanorum divinorum perfusus auditu. Aderat enim ampla gaudendi materia.

Sed ad locum a quo fluit redeamus. Cor enim id fuisse coniectabamur, quod consignatum coelestibus imaginibus atque amoris stimulo interius, exterius vero, nescio qua lance partitum ut supra meminimus. Fons quidam fieret, a quo aquae et sanguinis rivulos fluere vidimus, non quidem ad

<sup>o</sup> A: Usnago o Ausnago.

peccatorum Redemptionem aut humani generis ablutionem, sed ut electam sibi conformaret ex pressius coelestis Sponsus, qui ait: «Qui credit in me, opera quae ego facio, et ipse faciet, sed maiora horum faciet».

Non ausi essemus Domine Iesu asserere aliquid in servis tuis maius nisi audaciam praestitisses, tu ipse qui et maiora amicis tuis proprio ore premisisti. Et si maius hoc sit factum, tu tamen Domine Iesu in tua delectissima sponsa fecisti. In te enim post mortem in hac vivente, in te semel in hac continuatis temporibus, non tamen maius est sacramentum immo hic, nullum sed in te sacramentorum omnium maximum, quo videlicet praefigurasti sponsam tuam ecclesiam ex tuo latere formandam. Veluti primevam matrem exprimi hominis latere. Ut tuus Paulus tuo lumine profusus ex certa nos admonet voce, cum Ephesiis disserens: «Hoc sacramentum – inquit – magnum est Christi et Ecclesiae». In ista autem tua ancillula non sacramentum aliquod conspicio, sed eam quam in animam suam expressam tui imaginem consignasti. In corpore quoque humanis nostris oculis contuendam praebuisti. Quod et in Patriarcha nostro, tuo autem servo Francisco te fecisse iam Ecclesia tua comprobavit Domine. Comprobari hoc idem in hac tua serva iussus sperarem nisi scirem [309] te ab eadem fuisse praeventum ne faceres caeteris omnibus eam ut exaudias, humilime precor Domine Iesu, in hoc autem nunquam ne tui fideles hoc insigni priventur gaudio, et tuarum misericordiarum sigillo clarissimo.

Sed ut ad id redeat, unde noster digressus est sermo. Est foraminis quantitas sicut ciceris<sup>p</sup> rubei, parvius granum rubra quadam flagranteque circumdatum coronula ad mensuram digitii unius consumata. Non tamen pleno circulo circumductus livor circa foramen, sed in formam amigdalae vel magni oculi suis omnibus circumamictae vestibus. Cuius angulus alter versus orificium stomaci protendebatur, alter vero ex regione in oppositam partem vergebatur. Quae omnia bis vidimus continuatis tamen vicibus, prius enim genua flectens, postea vero sedens. Sed verecundia et timore perterita tota tremescerat, partim ex virili aspectu, quem semper pertimuit, partim vero ne publicans Domini sacramentum infida custos reperiretur. Unde et agoniam molestissimam est perpessa, quae omnia quamvis super eam ventura ante praedixerat, maluit tamen superiorem patiens obediens mandatis, quae suis votis vivens superventuris vacare molestus. Allocuti enim postea ipsam fuimus trementem amaritudineque repletam, quo coangustatum cor compressus est fluxus ille coelestis merore tota consumebatur. Gutta enim sanguinis ab illa hora usque ad horam tertiam post occasum solis feriae quintae immediate sequentis, nulla penitus fluxit.

<sup>p</sup> Siceris *nel testo*.

Sed quasi dolens vulnus de thesauro perduto velut oculus lacrimabatur, ut timeret ipsa, timeret et socius noster eius confessor, ne nostra praesumptione gratiam perdidisset. Quos ferventi studio consolari satagebam, sperans in eo, quod spiritus Iesus e pectore Pauli resonat, dicens: «Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum». Sciebam enim me nullo sinistro aut curioso respectu huiusmodi opus attentasse, sed solum, veluti alter Thomas, dubitans et palpans titubantibus magis potuisse prodesse. Dixeram enim, Deum testor persaepius: dies sabbati apparebit nobis salus. Quo post salutaria simposia, quibus tota sexta feria cum adjunctis notibus sueto more reficiebatur communibus mortalibus condescendebat sermonibus. Tempus enim itidem summo cum desiderio praestolabatur confessor. Sabbatum igitur expectatissimum venit. Vadit confessor ad locum et Christi ancillam accersiri iussit, quae venit ad cratem. «Quomodo – inquit – se habent res filia?» Respondit: «Divino favente presidio [310] melius quam mea peccata merentur». Sed successum rei, multis flagitabam sermonibus, et sollicitata praecibus, enarrans in parte haec tantum divina sic iubente virtute nos docuit, multa reservans de more cum aliis archanis, quae nulli mortalium adhuc patefecit:

«Hora – inquit – tertia noctis post feriam quintam, quae fuit die videlicet septimo iulii MDVI, cor totum concussum persensi perpluries, tanta animi corporisque angustia, ut crederem tunc vitae terminum claudere, febres etiam me vexabant continuae ardoribus maximis. Mentem itaque ut valui direxi ad Dominum, ut saltem quamvis indigna iuberet servulam suam, antequam spiritum redderet, ecclesiasticis refici sacramentis». Qua oratione ad solitam extesim subito fuit subvecta.

Cui obvia statim fuit coelorum Regina, candidis induta vestibus, auro argentoque permixto fulgentibus, circumamicta clamide quadam perpulchra coelesti aureoque colore permixta, fulgentissimam se eius praebebat oculis stemmate praeditissimo coronata, crinibus flagrantibus annulis quibusdam per spatulas et dorsum descendentibus, aspectu divinissimo, iucundisque oculis alacrique vultu, eam est allocuta dicens: «Ubi est tuum laterale vulnus? Ostende». Quam subito ut cognovit harum visionum iam facta domestica, reverita est, timens ostendere alveum suo iam flumine siccum; hinc iterum coelestis Regina eam fuit allocuta aspectu quodam duriori, veluti mater quando rebellem redarguit filiam, quo aspectu et tremens, tunicae scissuram aperuit, siccum alveum ostendebat. Quam intuebatur benedicta, cui astabat angelus pulcherrimus, breve quoddam inscriptum manu tenens sinistra. Sed omnium Regina virgo intuebatur et angelus veluti admirantes et stupidi ambo fixos in vulnus tenebant oculos, stantes erecti manibus elevatis veluti sacerdos cum ad altare sacra perorat. Quod sic per

aliquantulum spatium contuentes, dixit misericordiarum Regina et Mater: «Sicut Filius meus a communi me praeservavit peccato, sic hanc tibi gratiam conservo». Quae dicens grossiorem digitum circa vulnus infigens subiunxit: «Per omnipotentiam Patris», et postea indicem adhuc infingens, subintulit: «Per sapientiam Filii». Medium digitum prioribus adiungens subnecit: «Et puritatem Spiritus Sancti», nil aliud subiungens, sed circa vulnus totum illud frustum constrinxit.

Quibus dictis, veluti si et cannula plenissimi vasis extraheretur<sup>q</sup> spina, vinum statim [311] efflueret, sic sanguis abundantissimus et solito abundantior fluere coepit. Quo factu disparuit visio illa coelestis. Et ad semetipsam reversa, linteamina largo sanguine madefacta conspexit, signaque trina ultra rubeum circulum adiuncta prospexit. Vulnusque cum circulo ultra solitum tumefactum, prout coelorum Regina, tribus illis digitis perstringens, compresserat, veluti si in pane crudo quis tres digitos rubeo colore intinctos calcans, partem compressam eminentiorem redderet ac signa trina tenerorum digitorum relinqueret. Et qui haec vidit testimonium perhibuit. Et scimus quia verum est testimonium eius. Verum signa illa rubea in dies aliquantulum remittebant, sed quando abolita fuerint suo loco dicemus. Nunc autem scribimus quae occurunt.

Interrogata autem perpluries instantia quamaxima, ut angelici brevis texturam exponeret, non posse quoad viveret, semper affirmabat. Secretum enim continebatur, quod non licebat homini loqui, et maxime quia ad eius laudem cernebat. Sic enim semper quae ipsius laudem continebant solebat conticescere. Sed cum secretorum coelestium curiosus investigator, aliqua et forsitan ultra quam decebat importunitate solicitarem ut diceret, respondit: «Et, pater, nescio quid tibi dixerit pater Antonius de Monte Melone cum ex urbe venires, quando super gratiis a Deo acceptis habuistis sermonem. Nonne dixit tibi, quod gratiae non debent publicari? Nam reconditae conservantur, publicatae autem evanescunt».

De ea enim habueram sermonem in die commemorationis Sancti Pauli, secundo videlicet kalendas iulii, tacito tamen nomine et semotis testibus. Sic enim ad unguem dixerat mihi pater ille sanctissimus et Deo plenus. Obstupui illico, et ultra interrogare minime ausus fuerim. Sed ipsa subintulit: «Dimittamus ista, pater, quod licet hoc dicamus, febres – inquit – quae me torquebant cessarunt».

Unde in pristinum restituta vigorem alacer iucundaque hebdomada sequenti vilioribus se mancipari servitiis a confessore non parvis praecibus

<sup>q</sup> extraharetur *nel testo*.

obtinuit. Sic illa de cuius morte aut prolixo languore infirmitatis suae conscientia validior filiabus effecta, sibi etiam corporalia servitia exhibebant.

Ad eum ancilla Christi iam charitatis pervenerat apicem ut nihil nisi Dei honorem, et animarum optaret salutem compatiens nimis multorum, immo pene totius humani generis ingratissimi, eorum maxime qui coeteris virtutibus et meritis praestare deberent. Quondam et publici et occultissimi casus sibi divinitus fuerant oblati: ita ut videretur sibi ad huiusmodi Christum Iesum iterum crucifigi. Hinc compassivae lachrimae, hinc orationes ferventissimae, ut Deus istis omnibus [312] misereri dignaretur. Quas ferventissimas preces per trium annorum curricula: a die videlicet sanctae Mariae Magdalena, quo consignata prima fuerat, usque ad eiusdem festi diem tertii anni sequentis. Quo tempore soror quaedam Beatrix nomine, mulier quidem sancta et ferventissima, tanto fervore ut sanguis Christi humano generi impertiretur orabat nesciens quid peteret. Sed docente illo ignorantiam nostram supplens interpellat pro nobis, gemitibus inenarrabilibus quibus pro tempore a sensibus penitus videretur aliena.

Praefati igitur festi die extasim quandam ob memoriam forsitan suae consignationis mirifice patiens, dulcibus fuit refecta cibis dulcissimisque iucundata colloquiis. Ad se autem reversa crevit desiderium veniae et gratiae postulandae pro peccatoribus, addens ut eam redderet summus Redemptor participem alicuius guttae Sui sanguinis pretiosissimi, tam ad suorum peccatorum remissionem quam ad tutelam contra inimicum: ne in huiusmodi importantissimis negotiis aut deciperetur ab hoste, aut cum ipso in bello succumberet. Commendans in particulari tres suorum secretorum conscientias et ministros, ut et ipsi particulari participatione redderentur digni magnis praecibus beatam Mariam<sup>r</sup> et sororem eius, Redemptoris devotissimam hospitem Martham, ut gratiae huic consequendae interpellatrices non deditarentur adesse. Sed cum septimo kalendis augusti, dominica videlicet sequenti, post festum sanctae Mariae Magdalena in eundem sermonem solito ferventius oraret, addens et ferventissimam disciplinam, quounque iam fessa debilitati cedere cogeretur, tunc maximam in cellula commotionem persensit, ita ut videretur ipsam sibi ipsi cum tota mundi machina resolvi. Quod cum persensisset, timens et tremens ait: «In manu tua Domine mors et vita, iube quod vis». Quo dicto resolutis eius compaginibus omnibus cecidit in terram prostrata, quounque ad mane sequens in agonia remansit. Sed mane facto, cum adasset super oratorium ampulla quaedam, qua pro aqua utebatur aliquando ubi tunc Deo sic disponente casu posuerat, cum

<sup>r</sup> Segue Magdalenam, lapsus del copista: si noti che il passo è stato omesso nel volgarizzamento.

die praecedenti cellula mundaretur pro quodam pavimento fiendo, vidit in ea sanguinem limpidum super fundum ad mensuram digiti et dimidii, vel circa duos digitos eandem replere. Quod videns, admirans nimis cogitabat unde hoc evenire potuisse, et magis de sua memoriae debilitate dubitans, quam de talibus meritis praesumens opinabatur de suo, quem aliquando ex confessoris praecepto colligebat ibidem inadvertenter collocasse.

Intuens igitur et adorans aspectu quidem suo similis videbatur, odore [313] autem nequaquam sed quandam ille vetustatem redolebat quae non sentiebatur in suo. Nihilominus adhuc sibi non credens extraxit sanguinem illum et in ampulla quadam parva collocavit, relinquens illam maiorem super oratorium ubi et prius erat collocata. Mane sequenti iterum vidit in ea sanguinem eadem quantitate repositum, quod magis admirans iterum extraxit et in alia ampulla locavit in priorem, iterum in eodem loco reponens.

Et ecce tertio mane sequenti in eadem quantitate, et colore, et odore sanguinem vidit in praefata ampulla, signumque habuit certissimum sanguinem Redemptoris sibi participari. De quo gratias agens Deo totum quod extraxerat simul cum tertio in priorem ampullam restituit, omnia timens et tremens confessori patefaciens. Cuius iussu servavit, et die quarta augusti ego simul cum confessore vidimus et adoravimus. Viderunt et omnes sorores monasterii. Nam in reversione, cum in cella reportaret sanguinem illum, obviam habuit vicariam suam, quae vidit ampullam illam; et convocans sorores ad pedes eius obolutae coegerunt eam ut declararet quis esset ille sanguis et unde haberet. Quarum praecibus victa narravit factum, praecipiens magna instantia ne cuiquam visionem dicerent quousque a corpore solveretur.

Appropinquate postea solemnitate Portiunculae, quae die dominico anno illo occurrebat, surgens in nocte de more ut orationi vacaret, ecce in medio noctis silentio strepitus maximus et horribilis in cella. Exiens de cavernula sua per cellam respexit: nihil penitus vidit. Ad confictam specum rediens, iterum maiorem persensit strepitum, similiter et tertio, et cum nihil penitus videret, in media cella prostrata, orationi se dedit, et ecce ante conspectum eius animae quamplurimae videbantur de terra exire et magna multitudine coelum scandere. Et sic duravit haec visio per totam noctem. Inter quas quandam consobrinam suam Nicolosam nomine, quae anno quartodecimo sua aetatis mortua erat, sed iam tertius decimus annus agebatur postquam obierat. Et cum interrogaretur a confessore quid haberet illa iuvacula quae tantum steterat in purgatorio, respondit: «Vidi, pater, illam animam pulchriorem aliis, immo pulcherimam valde. Quid vobis videretur, si fuisset missa ad extrahendas aliquas consanguineas suas?». Nec ultra declarare voluit. Qua visione satis clarificata fuit, apertas illa nocte Portiunculae [314] cataractas coeli fuisse, et esse singulis annis, et largam

dari peccatorum remissionem per indulgentiam acceptam in illa benedicta ecclesia Portiunculae, prout a benigno summoque Deo impetraverat Franciscus. Et tunc a Spiritu Sancto correpta cantabat: «Dirupisti Domine vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis». Et postea usque ad horam tertiarum stabat in oratorio cantans: «Magnificat anima mea Dominum».

Venit itaque hora praedicta ad missam, et post missam ad patrem laudans et iubilans omnia narravit praedicta.

Sed ad sanguinem de coelo allatum redeamus. Nam quis esset et qui dederat, sequens indicavit eventus. Nam postera die visionis praedictae, tertio videlicet augusti, dolore capitis, temporum, et nuchae arrepta est gravissimo, ita ut iam semimortua effecta, magno cum labore ad cellam venerit, cui applicans statim in medio virtute iam exulta cecidit. Ubi extremam resolutionem si duraret dolor expectabat. Non enim ulterius poterat se pedibus continere: et ibi iacuit per aliquod spatium. Ad quam tandem se contulit soror illa quam diligebat secretorum suorum conscientia, quam videns sic afflictam, compassionem mota et spiritu agitata, ait: «Volo, mater, ut videamus si signum illud datum sit a coelo, aut aliunde evenerit. Ponamus sanguinem illum super loca doloris». Renuebat humilis mater. Tandem spiritui coacta cedere assensit, et ampullam illam quam reconsiderat in capsula extraxit, et super caput nudatum velo posuit dicens: «In nomine Patris», et statim dolor alleviabatur, ac si quis tertiam partem abstulisset ab onerato. Secuta est: «Et Filii», et subito in duplo se exoneratam persensit. Subintulit: «Et Spiritus Sancti», et tunc omnis dolor penitus est ablatus, ac si nullus aliquando fuisset. Et tota exonerata surrexit et ad officia sua laetissima et fortis accessit.

Aliud quoque miraculum interfuit. Soror enim Beatrix, quae ut diximus alienata sensibus sed edocta a Spiritu, pro hoc sanguine oraverat; dolorem et [315] lesionem cerebri patiens quadam die per mensem, videlicet ante impetrationem sanguinis prostrata, nescio quo spiritu arrepta, exclamavit ad matrem, dicens: «O mater, potes me adiuicare si vis», saepius itidem repetens. Obstupens mater ait: «Quid possum tibi facere?». Respondit: «Impera sanguinem Christi et liberabor». Parvipensus fuit sermo, cum nullum ab hoc esset inditium; tamen impetrato sanguine liberata fuit soror, quae hucusque sana et libera a mente, et<sup>s</sup> a capite, aliud in posterum non sensit nocumentum.

Sed haec parva sunt respectu eorum quae operanda sunt sanguine illo, ut in nocte 18 diei augusti sibi expresse declaratum fuit.

Et in posterum hoc coeleste inditium remansit in ea. Nam in quocunque reperiretur negotio aut colloquio semper sentiebat vocantem vocem immo-

<sup>s</sup> segue corpore cancellato.

attrahem Spiritum ad pignus illud coeleste revisendum. Unde conabatur aliquando aut dimittere aut quam celerime se a negotiis expedire, ut spiritui posset obtemperare vocanti. Accedens autem ad oratorium et sacri pignoris armarium, haec docente immo cogente Spiritu, proferebat: «Domine Iesu Christe Redemptor noster, deprecor te per preciosissimum sanguinem Tuum, miserere mihi et parce peccatis meis».

Estat et aliud signum: quod super sanguinem illum enatabat liquor quidam velut balsamum, quod extrahens in alia locavit ampulla. Sed cum quereremus habere partem aliquam illius sanguinis, quamvis recusaret, tandem stimulo ducta annuit, dummodo aliud sibi Deus non demonstraret, sentiebat enim Spiritum aliud sibi sugerere quem petebamus. Et tres ampullas fieri fecit: unam pro confessore, aliam pro sorore Ursula nutrici sua spirituali et aliam pro me. Et iubente confessore de liquore illo posuit partem in singula ampulla, ipsa sic sugerente Spiritu posuit quinque guttas pro qualibet, et quinque pro sua quam reservaverat. Remansit adhuc liquor in vase illo ubi prius separans a sanguine reposuerat, qui crevit mirabiliter praeter omnem naturam liquoris. Tandem in nocte sancti Ludovici crevit, et commutatus est mirabiliter. Commutatus enim fuit in colorem lacteum in tanta quantitate quanta praefuerat liquor; et super illum lacteum liquorem super enatabat adhuc oleum [316] illud in speciem balsami. Quae videre cupiens annuit, et omnia simul cum sorore Ursula portavit ad rotam, et vidimus omnes tres illas ampullas et quartam cum liquore illo albo tripartitum. In inferiori enim loco aquae spetiem praeferebat, in medio autem nivis in modum nubis albissimae, super aqueum liquorem residentem, supremo vero balsami liquor superenatabat. Sed cum vellem ampullam pro me praeparata accipere, rogavit ut aliquantulum differrem. Sentiebat enim repugnantiam quandam in corde et Spiritum sibi dicentem: «Non est tempus adhuc, revertere prerius e Brixia» (illuc enim eram profecturus die sequenti, reversurus post mensem), et tunc videbimus quid Deus disposuerit. Unde ego nolens spiritui resistere nec Christi ancillulam contristari, sanguinem restitui, dubitans ne aliud haec omnia disponens statuerit, quod affectus mihi persuadebat. Quod et sequens rei indicavit eventus.

Nam post meum discessum haec occurserunt, quae sigillatim confessori scribenti patefecit et reverso mihi sibi alloquenti in crastino sancti Francisci ore proprio confirmavit et seriem rerum gestarum viva voce replicavit, addens quae statim subiungam.

Vigesimo enim septimo augusti, in vigilia sancti Augustini, cuius festum feria sexta tunc celebrandum occurrebat, sensit puncturam quandam acutissimam in corde, quae ad solitum extasim eam vocabat, sed nolens tam cito accedere, dimisit sorores ad coenam. Ipsa autem in angulo camerae ubi

simul laborabant, sese oratura collocavit. Ubi stans per quartam partem horae sensit vocem sibi dicentem: «Noli separare<sup>1</sup> sanguinem illum». Quae vox tantum sibi terrorem incussit ut tota tremens remaneret. Et statim illinc discedens cellulam petiit, ubi cum lacrymis et disciplina ferventissima commendavit se Deo. Qua expleta, oratorium oratura intravit et quando incipere voluit orationem, tantus eam invasit terror ut cor videretur crepari per medium. Unde in agoniam devenire se sentiens, in confictum<sup>u</sup> specum ubi dormire solita erat se cadere permisit. Contigua enim oratorio erat, et collocavit se iuxta morem noctis feriae sextae cum extasim solitam pateretur.

[317] In extasim igitur rapta, visum sibi fuit statim in Paradisum conductam fuisse, ubi singulari visione vidit Christum Iesum, gloriosissimam Matrem eius, patremque Franciscum, et coelestem cunam totam. Et tunc fuit coram summo imperatore Christo Iesu praesentata. Ubi sanctus Franciscus ibi coram sermonem coepit altissimum de Trinitate, de Christi divinitate, et de sacramento Eucharistiae, et de sanguine hoc sibi e coelo allato, subiungens quod non debet separari, et quin haec omnia semel revelent, his videlicet qui rerum omnium consciī sunt.

Sed cum sanctus Franciscus sermoni finem imponeret, surrexit quidam qui videbatur sanctus Augustinus et coepit cantare suavissimum cantum versus eam cuius tenorem exprimere noluit, quia in eius laudem decantatus fuerat. Sic enim conticere consueverat omnia quae ad eius laudem sibi dicebantur. Sed illo finito coepit Augustinus alium cantum breviusculum versus eam, quo dicebat: «Non est voluntas Dei separare sanguinem suum»; postea tacuit.

Quo facto ipsa extendit brachia in modum crucis, et genua flexit ante Christum Iesum, quo omnes spiritus illi respiebant, coepit ipsa clamare veniam, et misericordiam petens, si in demonstrando aut tangendo sanguinem illud suam maiestatem offendisset; poenitentiam petens, nec tantum pro huiusmodi effectu, sed etiam pro omnibus peccatoribus mundi; charitate divina inflammata petiit portare ea tormenta et poenas quae sibi possibile erat sufferre. Quo dicto statim aspectu quodam bono tamen extra beatitudinem asportata, ad horrendas tenebras conducta fuit, ubi aliqua sentiebat videbatur autem nihil.

Sentiebat enim quatuor carnifices super eam, quorum unus ex uno brachio, aliis ex altero, tertius per pedes, postremus vero per caput eam veluti in cruce ponere vellent, trahebant. Qua attractione maximo cruciabatur tormento, ita ut spiritum sibi cum vita trahi videbatur. Quo

<sup>1</sup> sperare nel testo.

<sup>u</sup> confictam nel testo.

tormento aliquandiu supportato venit Archangelus Michael, qui – ut sibi videbatur –, ait: «Satis est». Et manus trahens reduxit ad pristinam beatitudinem, offerens eam ante Christum Iesum summo cum refrigerio, gaudio et beatitudine, quam tunc ex Iesu Christi praesentia hauriebat.

[318] Et ut visionis immo facti comprobaretur veritas, sic instigante Spiritu, die sabbathi sequenti post festum sancti Augustini, confessorem subito accersivit et seriem facti exposuit, annuens ut scriberem tunc coram sorore Ursula. Quibus scriptis et lectis subintulit: «Ne credatis hanc imaginationem potius visionem fuisse quam rei veritatem. Sciatis ea vulnera atrocissima esse in meo corpore derelicta: quae comprobatissimum testimonium facti reddere possunt». Et iubente confessore, ostendit brachia et pedes lividos quippe vulneribus atrocissimis; sed illa parva erant, ut subintulit, respectu eorum quibus totum corporis bustum cruciabatur. Unde tumescientibus vulneribus maxime pedum, usque ad XIII septembris diem, vix poterat ambulare, ut ipsem confessor sicut viderat et senserat testatus est. Addidit: «Quoque multa alia occurserunt, quae non licet pro tempore exprimere. Haec autem pauca, quo ad rem vestram attinent, dicta sufficient: sed cum ea mirabilia quae per sanguinem istum operari debent, in lucem devenient, alia tunc intelligetis».

Et his expeditis, accessit ipsa et soror Ursula ad cellulam, et aperta oratorii fenestra tantus respirabat odor, quam non poterat tolerare, unde recludere sibi opus fuit quousque aliquantulum remitteretur odor. Viderunt insuper et devote filiae vulnera illa per corpus inficta, quae durarunt usque ad finem mensis septembris, ita ut videretur corpus ex tormentis nostri crucifixi de cruce et tormentis illis sublatum: plenum enim erat livoribus nigris et vermicularis scissuris sanguinem hinc inde dimittentibus. Nec adhuc his satisfacta oraculis et contenta prodigiis, iussit filias omnes ferventissime vocare ut Deus sibi inspiraret super huiusmodi negocio quid esset. Accesserunt obedientes filiae ad obedientiam matris explendam, et multis lacrymis, suspiris et orationibus ferventissimis Deum solicitarunt ut quae esset rei veritas sibi suggereretur. Et facta aliquorum dierum oratione ferventissima, vocatae die decima septembris fuerunt a matre similiter, et sapienti et diligenti examinatione requisitae quod super hoc negocio eas Spiritus Sanctus edocuerit. Mirabile quidem, et septuagintaduorum interpretum renovatum miraculum. Omnes uno eodem edoctae Spiritu, eandem de sanguinis huius veritate sententiam protulere. «Verus est iste sanguinis Christi», inquiunt singulae [319] seorsum interrogatae «per quem ut mihi suggerit Spiritus multa mirabilia fiant». Sed particulariter soror Beatrix, et soror Maria se habuisse particulares de hoc pignore illuminationes asseruerunt.

Tertiodecimo itaque die praefati mensis septembris, quo dolor et livor invalescerent per totam noctem, maxima est passa tormenta usque ad diei crepusculum, quo aliquantulum requiem clausis oculis sumpsit. Quae tamen vidit ab ecclesia et platea Divi Marci crucem magnam auream usque ad ecclesiam Sancti Sepulchri asportari a gentibus multis processionaliter super fundamentum cum magna populorum frequentia. Quod si verum fuit oraculum rei exitus patefaciet.

Tantusque ex hoc sanguine terror et reverentia sibi ingessa fuit, quod volens oratorium ubi reconditum est intrare, tota terrore concutitur ut introire non audeat sed oratura genuflectat ad ostium. Nec intrat quousque disciplina vehementi se castigat, qua facta, quinque Pater noster de more ante crucifixum qui super altariolo oratorii iacet in eius memoriam repetit, sed cum tam compassivo cordis affectu ut in crucifixum non audeat dirigere oculos pro compassione. Si autem aliquantulum ipsa lumina elevare conatur, dum Pater Noster repetit, videt nebulam super crucifixum variis coloribus, velut iris coelestis decoratum sed purissime albo et coelesti; quibus Pater Noster finitis et nebulula ipsa dissolvitur. Sed quae circa hoc coeleste pignus sequuta sunt prosequimur.

Die enim XVII septembris, in festo videlicet stigmatum beati Francisci, haec declaravit: quae videlicet quartadecima die, quae vigiliam stigmatum praecesserat, iussit sorores ad Deum preces devotas fundere ut super hoc sanguine quod iuberet sua maiestas patefaceret. Tunc et ipsam ad cellam se conferens, sedens cogitabat super coeleste istud oraculum. Sed parvo interiecto spatio ad oratorium introeundum, continua instantia solicitata fuit ut disciplina solita se affligeret, ad quod ne dum sedens in cellula, sed tota die sollicitata fuerat. Renuebat nimio dolore et passionibus confecta dubitans ne fraudolenta foret suggestio ad ea tentanda in sanitatis aut vitae dispendium, quae vires prorsus minime sufferebant; unde ad solitum orationis configuum accessit, rogans Deum ut si haec esset bona suggestio praeberet et vires ut rite posset obtemperare. Mirabile dictu, subito robustior effecta oratorium intravit caedens se flagellis per mediae horae spatium cum [320] tanto fervore, ut persentirent sorores et ad ostium cellae currerent tenerrimae piae matris compassionie lacrimantes, sed castigata duris flagellis exterius fuit coelestibus admonitionibus interius collustrata. Recoluit enim visionem illam celebrem Innocentii de Francisci stigmatibus dubitantis, cui nocte sequenti astitit Franciscus laterale vulnus aperiens, ampullamque manibus suis praesentatam praedicto vulneri supponere. Veditque sanguinem a vulnere fluenti eam repleri; unde, et ipsa ampullam vacuam ubi tamen prius sanguinem collocaverat super altare statuit, rogans Deum, beatam Virginem patremque Franciscum, cuius stigmatum festivitas

imminebat, ut aliquod signum ultra ea quae recitata sunt de hoc sanguine demonstraret.

Mirabile dictu, sic perseverans orando vidi vacuam ampullam sudare, et liquorem veluti in speciem balsami solitam in fundo ex sudore illo congregari; quod observavit usque ad quartam noctis horam. Sed videns sudorem illum et fluxum continuari, reposuit ampullam simul cum aliis in capsula quadam, quam moliri iusserat ad coelestem thesaurum recondendum; et ad specum accessit, quo de more in mentis extasim elevata stetit in ea usque ad festum stygmatum proximum. Quo mentis excessu ea sibi quammaxima praeostensa fuere, sed indignam se tantarum rerum existimans, eadem nequaquam etiam confessori narrare voluit. Experrecta autem, immo ad carcerem corporis reddit, ad ampullam accessit, et adhuc eam sudoribus solitis perfundi conspexit, et in ampullae fundum speciem illam balsami congregari. Sed quia non pervenerat sanguis et liquor ille ad eum terminum quem Deus statuerat inferius forsitan declarandum, alias adhuc persensit et vidi mutationes.

Extraxerat enim liquorem ab ampulla ubi sanguis erat, et in parvulas ampullas praeparatas distribuit partem, et partem voluit eam in priorem ampullam ubi sanguis sine liquore erat ex illis omnibus portionem collectam ponere. In die itaque stigmatum, tres guttas liquoris ex qualibet accipiens, in eam quae sine liquore erat collocabat – mirabile quippe – et in eis ex quibus extrahebatur liquor, mirabiliter coram oculis crescebat. Et parva illa symbolica portio in magnam copiam excrescebat. Crescebat et insimul praeter solitum sanguinis copia ex latere suo fluentis ut sicut trium ampullarum liquor in unum intelligebatur [321] crescens, sic trium sanguinis copia perfunderetur quam maxima, Christi videlicet, vexilliferi Francisci, et ancillulae Clarae. Creverunt pariter tormenta quamplurima, quibus corpusculum illud iampridem cruciabatur, unde per totam diem illam Stigmatum, fuit cum Francisco dolore perfossa.

Et feria sexta, cum ad solitam extasim rediret simul cum Christo iterum crucifigebatur, in tantum sequenti die, sabbati videlicet, ad id devenerat ut nec os quidem aperire valeret minus orationes aliaque necessaria peragere, hoc unicum ei remanserat solatium, odor videlicet fragrantissimus, et ab oratorio ubi claudebatur coeleste pignus suavissime spirans, eam aliqualiter confortabat. Quo odore, et rei memoria excitata, huiuscemodi preces corde non ore profudit: «Domine Deus, si hic est verus sanguis Tuus, mihi vires aliquantulas presta, ut possim solita ferula me castigare, ob Passionis Tuae memoriam, et pro generationis humanae salute possim et lacrimas alias fundere».

O indefessum fervorem ferventissimae ancillulae! Non insupportabilibus contenta tormentis, adhuc maiora desiderabat perferre. Mirabile dictu, sensit

se mutatam quam primum, ac veluti quandam gravem vestem deponeret, sic graveclinem infirmitatis et doloris depositum, levis corpore, stabili mente, ignita fervore, oratorium est ingressa desiderata castigatione se affligens.

Quod videns superbus hostis, se a fragili sexu tanto robore indefessaque fortitudine victum, veluti leo rugiens fremebat. Fremitusque et tempestates mentis non sufferens, exterius offendere cogebatur impetum mentis. Perstrepebat enim per cellulam, ut ruere penitus videretur, brachiumque percutientis apprehendit ne flagellare se posset.

Cui strenua victrix: «Persequar – inquit – maledicte hostis, ceptum opus, velis, nolis» et effecta ferventior in caput impedire conantis profecit, addens et lacrymarum profluvium longamque orationem per duarum horarum spatium, quo nullum tormentum nullamque poenam penitus sentiebat. Sed finita castigatione lacrymis optataque oratione dolores omnes, pristinaque sibi restituta fuere tormenta, ut continue merendi materia sibi adesset, nunc operis, nunc patientiae longanimitatis et charitatis, quae pro se et pro aliis, praedicta illa laeto animo sufferebat tormenta. Et cum non adessent ferventi zelo deducta, illa praecibus impetrabat.

[322] Sed ad coeleste pignus redeuntes, perseveravit sudor ille balsamineus ex vacua ampulla usque ad undecimas kalendas octobris, idest ad primum et vigesimum diem praefati mensis, quo interrogantibus filiabus a pia matre quomodo sanguinis negotium se haberet, sancto instigata Spiritu, eas vocavit in atrium ante cellulam, et ipsa e cella ampullam sudantem foras ad filias portans, omnibus prodigium patetfecit. Viderunt omnes ex ampulla sudores albi liquoris profluere guttasque alias quae<sup>v</sup> vitro congelatae erant resolvi, et in fundum cum reliquo currentes uniri, odore quodam suavissimo spirante, ita ut partim suavitate perfusae, partim stupenda visione commotae, in lacrymas prorumperent largissimas pavimentoque prostratae oculos levare nequibant. Confortatae itaque filiae letae recesserunt a matre.

Perseveravit sudor ille coelestis usque ad VIII kalendis octobris, quo die voluit confessor videre ampullas omnes. Veditque ampullam sanguinis, qui rubicundus et depuratissimus erat; aliam quoque sudantem vidit, quae iam sudore desinere cooperat, auctum enim liquorem in fundo usque ad medietatem<sup>w</sup> ampullae.

His adhuc tantis totque prodigiis non contenta prudentissima virgo, divino suggerente Spiritu, posita fuit in aliquo dubii certamine, utrum ne hic sanguis et liquor esset a Deo an demonis astutia, qui et se in angelum lucis novit transformare. Procuravit veluti Ezechias aut Moses signa de coelo; non tantum in sua, sed aliorum fidei testimonium postulavit. Et primo cum ab

<sup>v</sup> quem nel testo.

<sup>w</sup> su meridiem cancellato.

oratione solita novo miraculo alio deducta aliquantulum declinasset, a Deo poposcit dicens: «Domine Iesu Christe, si hic est sanguis verus Tuus, redde mihi laetitiam solitae contemplationis, et consuetos panes lachrymarum».

Quibus dictis statim ad oratorium, ubi coeleste pignus aderat, fuit attracta. Erat enim in specu sua et cum introisset ecce lacrymarum copia, ecce coelestium coelorum opulentia, ecce contemplationis laetitia quae hucque perseverans rei veritatem continue comprobatur.

Post quod et aliud signum fuit immediate subsecutum. Ad id enim devenerat, ut corporalem cibum et spiritum<sup>x</sup> et corpus ipsum abhorreret nullumque penitus vellet [323] assumere, quae iam coelesti cibo replebatur. Prudens tamen confessor, dubitans et praecavens inimici insidias, ne aut nimia consumeretur debilitate aut superbiae spiritu percuteretur, si ultra quam Moses, Elias, et ipse Dei filius vacaret a cibo, paecepit quod saltem semel vel bis in hebdomada, aliquem cibum assumeret quem poterat. Obediebat humilis virgo, et post iejunium quatuor, sex, aut novem dierum, buccellam panis in aqua, vel bolum pomi assumebat, qui cibus non conveniens creaturae iam coelestis affectae ipsam gravabat et quo usque consumeretur in gutture contorquebat. Quod, et quia poenale libenter amatrix poenarum sufferebat, dolebat tamen in hoc, quod ab oratione dolores illi eam aliqualiter revocabant. Unde hoc tantum a Deo in veritate sacramenti sibi crediti poposcit humiliter, ut videlicet posset non obstante impedimento contorquentis cibi vacare orationi usque ad quartam horam noctis, et post trium horarum quietem, septima videlicet hora, posset ad orationis pabulum expedita redire. Quae omnia in veritatis signum successere ad vota. Vigilabat in primordio noctis, surgebat in media, reliquum vero usque ad diem in contemplatione ducebatur.

Sanctae autem Trinitatis amatrix, sicut pro maiori parte haec divina sibi ternario numero concedebantur ex alto, sic et tertium signum huius veritatis a Deo humiliter petiit, ut videlicet si ille sanguis Christi verax esset, eius multiplicaretur odor et redoleret fragrantia.

O magnam Trinitatis munificentiam in sanctae Trinitatis ancilla! Ter respiravit coelestis ille thesaurus tanta fragrantia in eius faciem, veluti porecto thuribulo astantium fumo perfunditur, ut odorem ferre non valens coacta fuerit in vocem prorumpere: «Non plus, non plus, quoniam sufferre non valeo».

Certificata igitur tot signis tantisque miraculis, statuit sanguinem totum in ampulla quadam colligere liquoremque in altera ampulla similiter

<sup>x</sup> spiritus *nel testo.*

collectum recondere. Quod et fecit praebente confessore consensum. Posuit igitur totum sanguinem, qui ampullam ubi nunc est usque ad medium colli replevit, liquoremque vero post multas factas mutationes in consimili ampulla sicut sibi fuerat demonstratum collocavit; qui medium ampullae partem ipsius tantummodo replevit, ut vidi confessor simul et sorores, qui et mensurarunt terminumque signarunt ad quem liquor devenerat. Sed cum continue cresceret liquor, [324] timebat ancilla Christi ne superfunderetur terraque conficiebatur cum liquorem vel sanguinem pertractabat, unde non sine dolore hoc negotium Domino commendavit.

Unde quinto kalendis octobris, dominica videlicet ante festum sancti Michaelis Archangeli, ad solitum mentis excessum sublevata fuit quo usque ad festum ipsum Archangeli Michaelis, quo fuit sacra visione praemonita: liquorem videlicet non ulterius crescere, cum ad eam quantitatem qua sanguis erat ad eundemque terminum in consimili ampulla deveniret. Die enim illo dominico longe minore quantitate habebatur quam sanguis, plus tamen quam dimidium ampullae crescens occupaverat. Et<sup>y</sup> in capsella collocaverat interpellatorem assumens Archangelum Michaelem simul et praetiosi thesauri custodem, totum negotium committens Deo et sancto Archangelo, quousque cibo pasceretur coelesti. In superventuro excessu, immo usque ad festum beati Francisci, quod dominica sequenti imminebat, quousque archam thesauri minime aperire decreverat.

Ad moniales autem post extasim reversa in solemni die sancti Michaelis vocata fuit a patre, et super sanguine requisita ait: «Commisi thesaurum collocatum in capsula Deo et Archangelo Michaeli». Subintulit confessor: «Cave ne nimium crescens effundatur». «Non timeo» – inquit sponsa Christi – «Non enim sanguis quantitatem pro tempore trascendet». «Et ubi – inquit pater – hoc habes?», «Non quaeras, – respondit – pater mi, super huiusmodi negotio». Aliud iussit pater ut diceret, quae devicta praexceptis, respondit: «Sanguis fuit mihi ostensus et liquor et hunc ad sanguinis quantitatem crescentem statim eodem habito termino conquiescere».

Voluit prudens confessor rei veritatem comprobare, archam cum thesauro iussit afferri. Et advocata sorore Ursula rerum conscientia, mittunt pro coelesti pignore, et coram patre et matre ipsa aperta fuit capsula extractaque vasa, et liquor simul et sanguis, ac si subtili diligentia fuissent partita ad eundem ampullarum terminum pervenisse, potique optata debitaque quiete, videbantur tanto odore fragrantes ut odoramenta omnia nostra excederent. Ad medium enim colli ampullarum uterque liquor pervenerat illo contentus termino. Sed sanguis clarus et coloris aut sanguinis granati mali spetiem

<sup>y</sup> Et ripetuto nel testo.

praeferebat, immo clarior videbatur. Liquor autem tripartitus erat sicut sanguis, et fuerat missus a coelo, ut coelesti oraculo edocta iam [325] fuerat. Inferius enim super fundum aqua nitidissima videbatur, medium autem nivea nebula, sed suprema pars electissimi balsami species apparebat. Quintam autem portionis sanguinis, quam in parva ampulla collocaverat, non portavit, quae erat veluti aqua aliquantulum rubra. «Comprobatis – inquit – vera quae dixi. Sed haec nihil sunt respectu eorum quae Deus per hunc mirabiliter operabitur».

Sed cum quae essent ista requireretur, «Sufficit – inquit – vobis pro nunc rei substantiam intellexisse. Nolite quaeso aliud interrogare».

Restituto itaque thesauro archae suae et aerario, suo videlicet oratorio, haec secuta sunt non minora prioribus.

Qualibet nocte et die interpolatis vicibus cum intercapidine unius vel duarum horarum, strepitus in capsula illa sentiebatur quammaximus, veluti castanearum fasciculus igni suppositus combureretur. Sed in nocte sancti Hieronymi simul cum strepitu dolorem latheralis vulneris atrocissimum sentiebat, ita ut dolore et strepitu molestata noctem totam duxit insomnem. Sed iterum odor suavissimus a liquore illo perfragrans aliquantulum mitigavit dolorem, strepitus autem perdurabant.

Advenientibus itaque kalendis octobris, die videlicet iovis, disponebat se pro eucharistia sumenda mane sequenti, filias comunicandas in die sancti Francisci praeveniebat, ut alias facere solita erat ne suis angoribus<sup>z</sup>, gemitibus, fremitibus et lacrymis, quas in communicando patiebatur, filias perturbaret. Et quamvis in nocte praecedente sextam feriam de more ad extasim vocabatur, hoc mirabile dicam: quod nunquam ad ipsum rapiebatur excessum, quoque vocata consentiret, ut confessori et mihi aliquando dixerat huiusmodi praebens exemplum: sicut nunquam contrahitur matrimonium nisi utroque sposo praebente consensum, sic nunquam consumatur extaticum simposium nisi utriusque adsit assensus. Hinc quando eucharistiam volebat assumere differebat assensum quoque pane reficeretur divino, sed non absque violentia magna et cordis angustia. Utrumque enim vocata utrisque immo eidem ad diversa vocanti parere volebat, sed sacramentale convivium spirituali praeponebat. Evigilans itaque nocte illa orationique vacans, strepitem solitum persensit quammaximum, sed et aliud adiunctum strepitem sentiebat, veluti gentium videlicet multarum ad indulgentiam aliquam frequentantium. Vocemque aliqualiter compressam multorum clamantium «Misericordiam, misericordiam», veluti in parasceve ad sermones publicos fieri solet odoremque ultra solitum ab

<sup>z</sup> angoriis nel testo.

oratorio respirantem est odorata suavissimum, et vox simul cum strepitu prosilire audiebatur. Sed quod haec stupenda praetendant oracula, rei exitus declarabit.

[326] Accessit igitur mane sequenti ad sanctissimum sacramentum solitis lacrymis et fremitibus, quo assumpto ad cellulam statim rediit et in extasim sibi domesticam sublevatur; quo refecta usque ad Dominicam sequentem, qua festum currebat beati patris Francisci, venit matre experrecta ad missam in ergastulum suum. Cui etsi astitit, audire tamen non potuit ut post modum confessori patefecit ob ea mirabilia, quae in tertium praefatorum dierum veneris, sabbati et dominicae praedictae in mane excessu audierat, et exaudita fuerat.

Sed hoc interim ego ex Brixiano itinere sabbato illo, idest in vigilia beati Francisci, Venetas applicui et in crastinum festi praedicti ad ancillam Christi, de his quae acciderant illucusque a confessore quam optime instructus accessi ut ipsam audirem docentem quae tamen pius confessor fidelissime patefecerat.

Omnia confirmavit, adiungens quod pro ut opinari poterat, Spiritus sibi dictabat non esse ultra Domini sacramentum celandum. Streitus enim ille, commotio cordis, compassio, quam ipsa ferebat, et sanguis, et crucifixi imago in oratorio existentis, sibi videbantur sugerere: «Quid ultra me in carceribus tenes. Non enim per te sola, sed pro multis haec tibi credita sunt». Hinc me hortabatur sicut et ante confessorem solicitaverat, ut aliquo modo, quod pro multis erat concessum multis, etiam proponeret miraculum. Sed cum interrogarem, quis deberet esse huius tantae rei publicator, praesente confessore, respondit: «Tu eris ille, sed prepara te ad eas tribulationes et contradictiones sufferendas, quas nunquam retroactis temporibus persensi. Sed tamen post multas angustias felix erit successus». Cui et ego respondi: «Labores non timeo et angustias, dummodo honor Dei et animarum zelus procuretur. Sed haec portenta quis credit? Ego enim veluti Moses sine signis et prodigiis coram principibus et populis in tam gravi negotio non comparebo. Rogo igitur illum qui haec mirabilia patravit, ut me et alios illuminet ad ea facienda, quae ille qui iam coepit, disposuit».

His itaque dictis volui sanguinem videre et manibus propriis accipere, et odorem sentire, et omnia recte comprobare quae narrata fuerant. Accessit ad aerarium sponsa Christi, unde arcum cum thesauro asportavit et per ostiolum, ubi eucharistiam recipiunt sorores, [327] monstravit. Vidi colorem et quantitatem utriusque liquoris, odorem suavissimum persensi, et mente nimirum confortatus, desiderabam saltem guttam coelestis pignoris mecum portare et experimentum super nepotem meum, iam octo annis aegritudine gallica saevissime laborantem facere. Dum liquoris igitur ampullam in

manibus tenerem, petii a sorore Ursula quae aderat lineum pannum quendam, quae mihi illum dedit, quo digitos tergebat quando liquores pertractaverat. Tunc ego foris stans illa vero intus, interiecto pavimento in parte et non ante ostiolum, ita ut nec ipsa me videre poterat nec ego ipsam inclinans ampullam illam liquoris super linteum illud, ut guttam saltem haberem. Tunc illa voce aliquantulum elevata clamavit: «Quid facitis? Nolite facere, non enim obtinebitis quod speratis». Qua voce perterritus, aliquantulum perstitti. Et iterum fretus in Domino ampullam inclinans guttam super linteum dimisi, iterum illa acclamante: «Quid facitis?». Sed cum dicerem «Quid clamas?», «Bene scio<sup>a</sup> – inquit – quid fecisti, Deus tibi parcat. Omnino pro nunc non obtinebis quod cogitas». Et cum perquirerem quid cogitasse, respondit: «Volebas aliquod liquoris illius periculum facere?». Timens itaque ne indignus indigne contrectassem Domini sacramentum, rogavi ut mihi poenitentiam nocte sequenti pro delicto, si commiseram, impetraret. «Non faciam – respondit –, ego enim sum criminis rea, ego volo poenis affligi; tu autem quod dabitur accipias».

Unde quid scripserim nocte sequenti, quid denique rei exitus fuerit de nepote subticere pro tempore statui quoisque aliquo fine claudatur negocium. Sed cum de publicando Domini sacramento non adhuc resoluta fuisset, facta conclusio, sequenti die secundo veneris nonas octobris, ad eandem vocati accessimus, et post multa dicta et contradictionibus habituris, pronunciatis conclusionis, committendum fore negotium totum Altissimo, ut sicut Sua sapientia opus huiusque conduxerat, sic et ad finem vellet perducere, demonstrans quando in lucem produci iuberet sacramentum, quod Sua benignitate demonstraverat.

His dictis discessimus, et fervens ancilla Christi ferventissimas super negotio nocte sequenti obtulit praeces. Accidit ut post matutini horam sic orando perseverans, vox quaedam ad cor claro loqueretur sermone in huiusmodi seriem: «Res haec maxime est, capita civitatis primo edocenda sunt. Dicas fratri Francisco ut rem primo serenissimo principi [328] aperiat, postea reverendissimo domino patriarchae, supplicans dominationibus suis ut per totam civitatem iubeant orationes fieri tacita re, ut Deus illuminet qui quempiam quid de negotio quodam importantissimo sit fiendum». Subinferens quod Deum rogare volebat, quod si esset hoc opus a Deo crederent factum, benigneque acceptarent; si vero minus, excandesceret uterque princeps in me. Placuit sermo omnibus nobis.

Nonis itaque octobris principem serenissimum simul cum confessore adivimus, admittentes etiam magnificum dominum Laurentium eius filium.

<sup>a</sup> *su facio cancellato.*

Et introeuntibus nobis dixit sublimis et catholicus princeps: «Nunc stans ante imaginem illam digito quandam ostendens, cogitabam de te et desiderabam tecum aliquod habere colloquium de rebus spiritualibus». Tunc deposito auditori opportune totam facti seriem patefecimus. Quibus auditis gratias Deo egit, laudavit factum et sententiam habitam de committendo hoc negotio Altissimo commendansque se et rempublicam orationibus suis, laetus ad reverendissimum Patriarcham nos dimisit. Cui et rei ordinem exposuimus tacito nomine et loco. «Credo – inquit reverendissima dominatio sua – factum quamvis sublimissimum videatur. Sanctissimas enim personas cognovimus», subinferens: «Dum prioratus officio in cartusiensibus fungebamur in Francia ad capitulum nostrum planies proficiscebamus. Ubi audivimus a fide dignissimis, maxime a quodam patre nostro, viro utique probatissimo, qui ad idem capitulum veniens, solebat virum quendam sanctissimum, qui viginti et octo annis steterat in specu quodam sine aliquo materiali cibo visitare, qui multa praedixerat Carolo regi Franciae ex Ludovico eius successore, quae usque ad iota minimum successere. Sed inter alia multa quae a sanctissimo viro illo acceperat pater ille venerandus haec fuere:

Tres personae adhuc in hac valle miseriae peregrinanrantur, quorum praecibus Deus placabatur et reddebat propitiis principibus christianitatis populo christiano, et pro peccatis hominum; quarum personarum unus erat in Alemania, alius in Francia, tertia vero in civitate Venetiarum». Subinferens adhuc: «Et forsitan haec est illa anima tanti Deo grata», et promisit se facere et aliis orationes ferventissimas indicere. Commendavimus et nos negotium istud fratribus omnibus et monialibus nostris qui in civitate Venetiarum inhabitant.

[329] Mane vero sequenti, octava videlicet idibus octobris, misit ad nos cedulam haec continentem:

«Patres, qui socii sunt tribulationum debent et consolationis esse particeps.

Haec igitur habeatis. Nocte igitur praeterita fuit mihi penitus somnus sublatus, steteram tamen in specu ad horam matutini, tunc surrexi ut oratorium oratura intrarem. Sed tanta fui suavitate perfusa ut intrare minime potuerim. Quapropter tamquam publicanus me collocavi post ostium, quod clausum tenebam non valens egredientem odorem perferre. Et sic ante ianuam stans, cantum persensi suavissimum, ac si totus angelorum chorus concineret tanta suavitate, quam lingua exprimere vel in parte minima posset. Tunc dimiserunt me febres, angustia cordis et nullum ulterius persensi strepitum. Unde gaudemus et exultemus, quia hinc credo omnia ad vota Altissimi successisse».

Distulimus tamen accessum ad eam usque ad sabbatum, sexto videlicet idus octobris, ut daremus locum solito excessui feriae sextae interiacentis. Et cum interrogaremus factum, ore proprio confirmavit quae scripserat, subinferens quod nullum penitus post declarationem illam factam principibus civitatis senserat strepitum. Sed cum interrogarem quid angeli illi cantarent, respondit: «Vocem quidem et melodiam suavissimam audiebam, sed quid dicerent minime intelligere potui. Sed in pavimentum prostrata, steti sic quoisque dies claresceret. Quam cum soror Ursula hora crepusculi ad cellulam suam accederet vidi et tetigit. Sed cum alienam eam comprobaret a sensibus dimisit, ut requiesceret in somno pacis, in idipsum qui omnia haec perpetrare dignabatur». Addens quod post haec quando aerarium illud oratorii introire volebat, tantus eam invadebat terror, ut minime auderet introire. Sed iterum ait: «Procurasti orationes cum reverendissimo domino, cum fratribus et sororibus nostris?». «Fecimus – inquit – omnia quae promisimus. Commendavimus negotium reverendissimo domino, fratribus et sororibus», et illa: «Quid est quod orationes fratrum et sororum sentio, alias autem minime? Dubito enim quod reverendissimus dominus nihil fecit», subinferens: «Et forsitan praepeditus infirmitate negotium hoc praetermisit». Cui et ego: «Vis ut ad eum revertamur?». Non respondit verbum. Sequenti vero die cedulam aliam misit haec continentem:

«Hesterna die, interrogata si ad reverendissimum dominum iterum redire debebatur, non respondit, quia non praemiseram orationem. Nocte vero hac iuxta miseriam meam aliqua facta oratione, Spiritus mihi suggestit quod eundum sit, et interrogare suam reverendissimam dominationem cur distulit [330] negotium, et quod amplius non differat».

Ivimus statim et sciscitantibus nobis rei veritatem fassus est, dicens: «Parcatis mihi amore Dei, quia praepeditus infirmitate, quod promiseram praetermisisti. Sed hodie omnino explebimus omnia».

Tamen usque autem ad diem sequentem secutum est nihil, nisi quod dolorem et tristitiam sentiebat in corde, sicut de more sentire solebat quando Deus aliquod magnum negotium aut sibi revelare aut in ea operari solebat.

Hebdomada enim currebat qua circa res domesticas, coquinam videlicet faciendam, utensilia abluenda, et huiusmodi, tunc de vice sua agebat. A qua nunquam absolvi voluit, nec ob infirmitates et angustias quas patiebatur quammaximas, nec ob officium abbatissatus aut prioratus, quo tunc fungebatur, nec ob sororum preces et confessoris persuasiones. Sed humilima Christi ancilla humilibus cupiebat mancipari servitiis; unde huiusmodi servitiis humillime et ardenti affectu addicta filiabus tanquam angelis serviebat.

Sed<sup>b</sup> die lunae in vespere, quarto videlicet idus octobris, ad cellulam orandi causa accessit et, cum magno tremore, aerarium sacri thesauri Spiritu suggestente intravit, ut videret si aliqua novitas circa sacrum illud pignus appareret. Et manu accipiens ampullam illam liquoris, vidit in fundo in aquo veluti liquore, stellam quandam pulcherrimam atque splendentem, in quantitate magni oboli aut medii solidi, quae paulatim elevabatur et cum ad niveum deveniret liquorem, ea quae videbatur stella in flamulam quandam ignitam convertebatur et sic ascendebat usque ad superficiem liquoris balsami supernatantis; quo cum attingeret resolvebatur in fumum odoris tam suavissimi, ut perferre non posset. Quo peracto, aliam sublevari stellam a fundo prospexit simillimo ordine et simili exitu resolvi, et hoc tam paulatim ut clarissime discernere omnia posset, sed adhuc ampullam praedictam prospiciens tertio, si videbatur stellam consimilem sublevari. Sed tanta lacrymarum fuit tunc copia perfusa, quae non ita clare successum tertio reiteratum prospicere posset. Collocavit post hoc thesaurum in arca, ad sorores descendit, ut coenam et quae necessaria occurrabant praeparanda disponeret. Filias igitur ad coenam dimisit, praemissa tamen benedictione valefaciensque eas ergastulum suum, quo a solito Spiritu vocabatur, accedebat, sed videns aliqua utensilia non abluta, compatiens pia mater dilectis filiabus, immo illis, ad omne genus bravii praestantissima ductrix praecurrere satagens ad lavatorium accessit. Utensilia omnia lavavit et ad cellam postea accedens indefessa agonizatrix [331] prolixiori se disciplina castigavit.

Quam soror Ursula ferens sibi aquam pro poculo et tenui refrigerio sui afflicti corpusculi persensit, unde non ausa introire post aliquod interpositum spatium revertit.

Cui dulci simul et reverenti obiurgatione affatur: «Cur dilectissima mater sic facis? Quid dices si aliqua nostrum tanta severitate, ne dicam indiscretione, in seipsam uteretur?». Tunc inquit illa: «Alia in me exquirerent, quam haec paucula tantum pignus quod in manibus habeo».

Bolo postea sumpto mali punici a praedicta sorore sibi allati cum paulolo aquae, eandem sororem dimisit, vacare cupiens orationi ad quam Spiritus vehemens eam solicitabat. Surgens itaque ante oratorii ostium se collocavit humillime aerarium intrare non audens, ubi extasim aliquamdiu perpessa, ea vidit maxime de hoc pignore superventura, quae affari minime potuit, asserens quod earum quae in extasi conspiciebat distincte recordari non poterat, nec linguae exprimenda committere.

Reversa autem post aliquod spatium in semetipsam, ecce ipsi vigilanti et sensibus penitus restituta, astitit sanctus Franciscus parvulus, ut videbatur,

<sup>b</sup> sed *ripetuto*.

et pallidus, macra facie, splendens tamen totus praecipue stigmatibus sacris irradians, habitu argentino relucenti, corpore vero veluti crystallo finissimo transparentem. Et cum eo multitudo spirituum veluti flammarum lucentium, quam intuens aspectu aliquantulum acriori excandescebat in eam, increpans incredulitatem eius et duritiam cordis, eo quod non plene crediderat pignus illud fuisse allatum a coelo. Sed aliquando opinans in deceptiorem a demonio procuratum parvipendebat thesaurum, saepius etiam dixerat nobis: «*Dubito ne decipiatur. Nescio si hoc sit a Deo aut demonis astutia emolitum.*» In quam dubitationem ceciderat ex rei magnitudine, indignam se tanti pignoris custodem existimans.

Increpavit tamen eam dure vexillifer Christi Franciscus, dicens: «*Tanta instantia hoc petiisti a Christo totque praecibus et lacrymis impetrasti pro salute humana, et nunc coeleste munus tibi praestitum parvipendens indigne pertractasti, ascribere audens demonio quod a Deo tanta tibi est benignitate praestatum. Non transies impunis,*» subinferens: «*Postquam hic est verus sanguis Christi Iesu, munire fide et spe firmissima in eum.*» Quibus dictis canere coepit sanctus pater Franciscus sonoro cantu hymnum: «*Pange lingua gloriosi.*» Sed ad illud verbum «*Ad firmandum cor syncerum sola fides sufficit*» deveniens ter illud idem suavissimo cantu repetiit.

[332] Multa postea de hoc sanguine mysteria declaravit, quae in singultus et lacrymas abundantissimas prorumpens, cum rei seriem panderet, exprimere non potuit, sed hoc tantum reassumptis viribus declaravit: quod quinque illae portiones sanguinis, quarum una in ampulla magna erat, tres in illa liquoris, ut saepius repetitum est, et quinta quae in parvulo remanserat vase, significabant quinque vulnera Redemptoris Nostris a quibus sanguis ille nescimus si nunc divina virtute aut si iam pridem alicubi conservatum effluxerat, demonstravit insuper tabernaculi formam, quo thesaurus ille reconderetur.

«*Hic igitur, patres, luce clarius iam certior redditum sum, ut amplius super huiusmodi dubitare non mihi contingat.*» Et hoc tot singultis et lacrymis enarrabat, ut vix verba exprimere posset.

Dicam et aliud insolitum novumque miraculum stupendum quidem et alias incredibile, sed ad huiusmodi maximis non excludendum.

Recedente vexillifero Christi Francisco, pecuniam in cella repperit pro tabernaculo emoliendo. Quinquaginta videlicet ducatos aureos venetos, ut videbantur tunc tunc e nova fucina deductos. Centum etiam alios parum ante simili modo repererat sicut, et ducentos illos de quibus supra meminimus». Haec dicens iterum fremens in singultus et lacrymas prorupit tremoremque et totius corporis concussionem, sic per mediae horae spatium agonizans. Postea reassumptis iterum viribus, lacrymando dixit: «*Deum instantissime rogavi ut modum publicandi alicui alii patefaceret, tamen ut videre videor*

hoc mihi incumbit onus». Sed super huiusmodi interrogata saepius, non sine difficultate dixit mihi: «Tuis, frater Franciscus, humeris hoc est a Deo impositum. Nec cogites extra urbem Venetam futura quadragesima praedicare. Tu enim in platea S. Marci predicabis. Illic te ostendere coeleste thesaurum oportebit. Credam enim illum tibi ut facias quod praeordinavit Altissimus. Postea mihi restitus, ut equum erit, sed id sciatis patres quod quando hic divinus praesentabitur sanguis, omnes qui debita fide aderunt omnium suorum peccatorum indulgentiam et remissionem plenariam consequentur. Sed attende quod tria te habere oportet». Cum autem interrogarem quae illa essent, aliquantulum renitens, tamen ut virtute obedientiae adiuvata<sup>c</sup>, respondit: «Primum bona fide et spe te monitum esse oportebit. Secundo ut assumas scutum patientiae et constantiae necesse est. Multa enim patieris, quae nunquam perpessus fuisti». Tertium manifestandum aliquantulum [333] renitentior reddebat. Sed tandem multis astricta vinculis et istud tertium deprompsit, dicens: «Oportebit quod sis meum scutum et defensio». Nil ultra progrediebatur. Et cum dixisset «A quibus molestaberis: a demonibus?», respondit: «Non timeo demones. Amore Iesu Christi, claudatis me inter duos muros». Tunc intelleximus quod de frequentia quae fluet ad eam et reverentia quae sibi exhibetur, loqueretur. Et cum ab eadem super his certiores reddi flagitaremus, «Ista quippe sunt, patres», et magno fletu subintulit: «Includatis me nunc amore Dei inter duos muros ut nullus me videre possit».

Haec omnia praedicto ordine mane sequenti narravit: ad hoc accersierat nos.

Sed cum expedita fuisset a visione, descendit ad filias, quae tunc in calce erant matutinalis officii; et ipso expleto, ante eas omnes genuflectens, cum inexhaustis lacrymis veniam postulabat, quod aliquando opus illud demonio tribuerat minusque reverenter thesaurum pertractaverat. Quod et antea nobis fecit postquam factum narravit, subinferens: «Magna mihi, patres, inficta est interius paenitentia. Sed rogo et omni instantia flagito, ut et vos mihi aliam detis omnino». Et cum perquiremus quae sibi fuisset paenitentia inficta, respondit: «Multos dolores inexcogitablesque sum angustias perpessa, sed nunquam similem persensi». «Et ubi – iniquimus – haec sentis?» «In toto – respondit – corpore, sed maxime in corde continuas». Haec dicens lacrymas ex intimis cordis fundebat largissimas. Quibus compatientes, nolebamus afflictiones alias superaddere.

Nolebat recedere ferventissima virgo nec nos dimittere, nisi super requisita poenitentia eam exaudiremus. Tunc eius devincti praecibus, votis

<sup>c</sup> per adiuta.

ardentibus obtemperantes, triplicem paenitentiam, quae tunc subvenerat<sup>d</sup>, sibi imperavimus. Primo, ut culpam in refectorio coram sororibus de incredulitate deque irreverentia diceret. Lingua quoque qua demonem in huiusmodi opera commiscuerat, pavimentum ad palmī mensuram excuteret, et quinque Pater Noster, et quinque Ave Maria quotidie diceret, quousque Deus mentem nostram illuminaret aliquo singulari lumine super his, quae de huiuscemodi negocio agenda et publicanda sunt.

Nocte autem sequenti a multis simul persensit suavissimum cantari hymnum «Pange lingua gloriosi», et cum perveniret cantantes ad locum illum, «Ad firmandum cor sincerum sola fides sufficit», non tantum ter ut nocte praecedenti fecerat sanctus Franciscus replicabunt, [334] sed multoties ita ut numerare non potuerim. Interrogata qui cantabant, respondit: «Existimo fuisse angelos. Non enim ausa fui oratorium introire ubi cantabant, unde tunc neminem vidi, sed vocem tantummodo clarissimam et suavissimam persensi».

Illo eodem die hoc novum prodigium accidit novae Dei sponsae. Ter fulgor ab eius oculis processit, qui veluti radius solaris totum illuminabat spatium, durans per quartam partem horae, et post recessum remanebant obumbrati<sup>e</sup> oculi, sicuti quando post aliquem prospectum in sole a luce et a radiis solaribus divelluntur et ad communem aerem redduntur.

Dolor vero cordis omniumque membrorum, quae omnium infidelitatum et irreverentiae poenam sibi inflictus fuerat, perdurabat quammaximus, ita ut a membrorum compaginibus dissoluta videretur. Hebdomadaria tamen servitia, quae de vice sua occurserant, ferventissima Christi ancilla pretermittere nequaquam voluit.

Postera autem die cedulam missit confessori, haec continentem:

«Pater, post discessum vestrum hesterna die aggravatus fuit dolor. Tamen adveniente hora memet ad cellam contuli, et meliori conatu quo potui orationi me dedi. Et quando placuit divinae bonitati, haec mihi oranti patefacta fuere: "Sicut hoc pignus tibi datum est propter fidem, charitate, et orationem continuam, sic, creatura, fide, spe, et continua oratione quas petit gratias obtinebit". Postea apertum fuit illud quod hucusque me latuit, videlicet liquor semisanguis et semiaqueus qui continebatur in ampulla parvula, liquorem illum mixtum qui e latere Christi fluxit significat. Amplius quod dixi de radiis ex oculis vibrantibus successive augetur – subinferens – Deus scit cum quanta cordis amaritudine haec dico, sed ut elevem<sup>f</sup> dolorem

<sup>d</sup> su successerat cancellato.

<sup>e</sup> obrumbati *nel testo*.

<sup>f</sup> eleviem *nel testo*.

vestrum et patris Francisci haec suffero, si aliud occurrerit patefaciam in dies. Nec plura, et me orationibus utriusque commendo. Vale».

Sabbato autem sequenti, die videlicet XVII octobris, post solitam extasim sextae feriae accersivit nos. Quos tenuissime nec sine lacrymis allocuta, dixit: «Doleo nimis, patres, cum hoc pandere debeam. Deus scit quantum mihi ipsi intulerim violentiam, ut rem possem recondere. Sed coacta confiteor, quod non plene alia die retuli seriem visionis». Et [335] interrogata a quo fuerit coacta, respondit: «Sanctus pater Franciscus hac in nocte in extasi me dure reprehendit quod non retulerim ea quae vidi, subinferens quod vobis duobus, sic enim mihi ostendebamini ante sanctum patrem, deberem rei ordinem consumatum significare». Tunc tacuit solitam repugnantiam sentiens in exprimendis istis quae ad eius laudem spectant. Et interrogata, quae fuerint quae praetermisit, cum ad mentem reduceret ut exprimeret, prorupit in singultus et lacrymas per medium horae spatiū et eo amplius. Postea, Deo iubente, resumptis<sup>g</sup> viribus, non sine magnis singultibus, et lacrymis, et suspiriis, intervenientibus quoque multis nostris praecibus et interrogationibus, tandem deprompsit, quod alii aderant illi celeberimae visioni: Christus videlicet et Beatissima Virgo simul cum Francisco et spiritibus illis; Christus autem in medio, et ante eum Pontifex maximus.

Et crucis praesentatio in hunc se habuit modum. Primo enim Christus Iesus dedit beato Francisco, et beatus Franciscus dedit ipsi videnti, ipsa autem dedit Pontifici, Christo ipsi Pontifici dicente: «Sicut ego hoc confirmavi in coelo, sic tu confirma in terra». Pontifex autem dedit duobus angelis, qui sic eam gestabant ut in pictura habetur. Angeli autem praesentabant nobis, mihi vero fratri Francisco indigno peccatori et fratri Antonio eius confessori; nos autem ut sibi videbatur cum ipsa cruce signabamus magnam spirituum multitudinem qui aderant, quibus signatis recedebant; et secundo aderat alia magna multitudo spirituum quam etiam secundo signabamus.

Quibus peractis videbatur ei cadere in terram prostrata, et elevatis oculis neminem ultra videbat. Et interrogantibus nobis quid sibi dixisset Christus et Beata Virgo, respondit: «Non pertinent haec huiusmodi ad rem, dimittamus ea». Sed cum instanter interrogaremus ut declararet, respondit: «Hoc mihi non fuit praeceptum. Orabo si dabitur a coelo ut declararem faciam, sin autem cum patientia supportabis». Et recentibus nobis dedit figuram crucis fiendae cum tabernaculis ubi recondi deberet colestis thesaurus, quam subinferam non in ea quantitate sed forma tantummodo.

Sed interrogantibus nobis quid sibi vellet illa bina consignatio, quam videbamur facere super [336] spiritus illos, respondit: «Existimo id significare

<sup>g</sup> rausumptis nel testo.

binam ostensionem, quae singulis annis fieri debet ad populum. Et illa crucis signatio remissionem praeostendit, quam consequi debent omnes astantes illi praesentationi suorum omnium peccatorum, ut mihi apertissime declaratum fuit». Sed cum instaremus ut quod sibi dixerit Christus Iesus sanctissimaque Mater eius, respondit: «Non fuit mihi praeceptum ut id panderem». Instantia autem magna solicitata ut saltem scriberet, tandem dixit: «Praemittam orationem, et quod Deus iusserit, faciam». Tunc recessimus, et mane sequenti misit cedulam scriptam manu propria hunc habens tenorem ad verbum:

«Cognoscens miseriam meam, non mihi videbar tanti thesauri digna hinc in oratione perseverabam, animarum salutem efflagitans. Dominus respondit mihi clamanti: "Volo quod de novo offeras vitam tuam, et nunquam concedas requiem tibi ipsi. Ad hoc enim exercitium te deputavi, et addico de novo; et omnes qui te sequuntur et sequentur, attendam quod nunquam tepescant, sed semper crescent desideria vestra. Ego autem cum amoris affectu paratus sum eadem desideria complere".

His dictis dedit mihi benedictionem, et mihi praesentata fuit crux in manibus. Tunc autem ad Matrem gratiae me verti, ei supplicans ut esset mea advocata ante Filium ut et perseverantiam condonaret. Et ipsa respondit, docens me haec pauca verba quae deberem dicere: "Domine mi, conserva bonas inspirationes in corde meo". Ad ipsam autem: "Dulcis Virgo Maria, te deprecor ut sis mea advocata". Et postea dedit mihi benedictionem.

Praeterea quia interrogasti super statura pontificis, haec habeas. Mihi videbatur statura communis, bene complexionatus non tantum in carnibus quantum in ossibus. In facie rubens, et alia subiunxit, quae subticeo, vera tamen».

Ad sanguinem autem revertentes, cooperat iterum liquor ille albus bullire, non quidem crescendo sed supra mittendo certos granulos argenteos in forma piperis, colore autem [337] albissimos veluti argenti nuper illustrati. Materia vero veluti argenti vivi videbatur, qui ascendentis aliquando usque ad orificium liquoris, partim resolvebantur, partim aperti restabant. Unde vigesimo die mensis accessimus ad thesaurum visendum. Quibus narrarunt ipsa sponsa Christi et soror Ursula, quae in mane vigiliae videlicet sanctae Ursulae, tempestive cellam matris soror ipsa Ursula accesserat ut sanguinem videret; sed accipiens in manibus ancilla Christi ampullam liquoris albi, sensit digitos madefactos simul et nescio quod tumescere in pede ampullae. Aspiciens autem vidit digitos sanguine rubricatos; iterum ampullam prospexit, et vidit in fundo quinque guttas sanguinis collecti, veluti quinque grana milii. Admirans abstersit digitos linteo quodam quod et ampullae supposuit in fundo archae ne disperderetur thesaurus et abiit.

Hora autem tertiarum rediens, vidit ampullam in fundo sudare, quam elevans vidit super linteum illud guttas sanguinis perfusas plures prioribus. Iussimus ampullas cum archa nobis portari et vidimus oculis propriis omnia quae narrata sunt, sed guttas illas iam siccatas vitro fortiter adhaerere. Recedentibus vero nobis et recondito thesauro, sermo habitus est a filiabus in refectorio super sudore illo, et subintullerunt aliquae: «Videte mater ne sudans iterum crescat». Quibus pia mater ait: «Sudabit sequenti nocte, sequenti tantummodo, nec ultra progredietur». Quod et factum est.

Sed cum vellemus intelligere unde habuisset haec, quamvis non sine magna difficultate, hoc extraximus: «Sunt hodie anni duo – inquit – quibus in hac eadem vigilia sanctae Ursulae superabundavit mihi maxima lacrymarum copia. In quarta autem hora noctis apparuit mihi Christus solus passus et afflictus, vulnus laterale plenum sanguine et tumescens ostendit, nec exibat sanguis. Postea videbatur mihi aliquas guttas exire super carnem nudam, cui adherentes coagulabantur. Et parum post idem fluxus et eadem coagulatio videbatur expresse non quidem dormienti aut extasim patienti, sed vigilanti et sensibus meis utenti; hinc, patres, conieci sudorem illum post secundam effluxionem conquiescere. Sic enim, patres mei, omnia quae venerunt super me et quae ventura sunt, fuerunt aliquibus imaginibus [338] prius mihi permonstrata». Quod et alias sepius dixerat ita namque et in hoc factum est. Nam in nocte solemnitatis sanctae Ursulae iterum in eundem modum sudavit. Sed cum sexta feria supervenerit, cessimus excessibus suis.

Sabbato vero sequenti, die videlicet XXIII octobris, accessit confessor et vidiit ita omnia successisse insuper et granellos illos ebullire, quorum tres aut quatuor ascendere vidi confessor simul cum sororibus quae astabant et in spumam quandam resolvi cum in superficiem venirent.

Sequenti vero die diversis infirmitatibus et angustiis oppressa ad cellam se contulit, cui ministra eius attulit aliquantulum mali punici cocti, et parum aquae pro aliqua confortatione. Quod volens assumere, crevit dolor quammaximus capitis et membrorum ita ut reclinare sibi opus fuerit. Licentiata igitur sorore illa, in antriolo suo se collocavit, ubi cum aliquantulum se sopori dedisset a magno fuit strepitu experrecta vocemque persensit vocantem, et elevans oculos vidi duas sorores stantes ex adverso cum mantello et nigris vellis, quae eam irreverberatis oculis manibusque iunctis, quibus et tabernaculum suum utraque substinebat, intuebantur per quartam partem horae. Et e converso ipsa intuebatur easdem ita ut eius oculos, dolor ex illa intuitione corriperet non modicus, nec tamen poterat eas recognoscere, quamvis lucernula quadam perlustraretur cellula, unde caput reclinavit maerens et dolens; et statim tanto fuit odore resperso tantaque fragrantia, ut illico dolor discederet ab oculis, a capite, a toto

denique corpore. Et elevans iterum oculos neminem vidit, sed quae fuerint illae sorores aut quarum imagine apparuerint, non expressit.

In XXVII autem die mensis iterum voluimus thesaurum videre, si aliqua adasset novitas. Portaverat<sup>h</sup> enim confessor claves secum et solito more aperta archa vidimus ampullas; et in illa liquoris albi vidimus granellos illos veluti margaritas quasdam pendentes sub niveo liquore, splendentes non minus quam stellae, serenata profundaque nocte. Sed adhuc claves volui apud me retinere usque ad nonum diem, feriam videlicet quartam post festum Omnium Sanctorum, idest novembbris. Ubi iterum revertentes easdem novasque stellas aut margaritas plures prioribus pendere vidimus; tunc claves restituimus laudantes Dominum<sup>i</sup>. Sed interim haec occurserunt.

[339] Feria sexta summo mane, tertio videlicet kalendis novembbris, confessor dedit sibi eucharistiae sacramentum, quo accepto statim ad cellam rediit, quo a solita extasi rapta ipsa usque ad festum Omnium Sanctorum, kalendis videlicet novembbris, sustinuit. Restituta autem nobis, eadem confessori fassa est se certificatum fuisse illum esse verum sanguinem Christi sibique vere et realiter concessum unde dolor et poena omnis sibi sublata fuit, subinferens: «Non ultra dolere aut affligere me statui, sed totum negotium iam commisi illi qui effecit», recolens visionem arboris cum triplici fructu, quam in principio suae conversionis habuit, per quam edocta fuit quod per cruce penitus transire debebat.

Tertia itaque die novembbris claves portavimus nobiscum, et aperta archa vidimus liquorem illum album cum stelliferis granis fulgentem odoreque suavissimo fragrantem ut certificati iam claves restituere potuimus, ut fecimus. Sequenti vero die, cum iam tentassem ego manibus propriis colligere sanguinem ex lateralī vulnere fluentem ad confirmandam devotorum fidem, qui postea vidissent sanguinem illum non coagulatum, non putrefactum, sed continuo odore refertum et a corpore humano manibus propriis collectum, quamvis aliam ampullam haberemus apud me, quam repleverat praecepto confessoris. Et ego, ipsa renuente, ex cella sua extraxeram; et ipsa timeret id facere, timens ne peius sibi occurrente quam prius obvenerat, oravit tamen, ut super hoc divino edoceretur oraculo. Quae in oratione perseverans audivit vocem dicentem: «Ne tentabis Dominum Deum tuum».

Decima autem die pater Franciscus Zenus vicarius generalis, et XIII die pater Herardus de Argentina commissarius ultramontanus in curia, vir utique doctus et bonus, voluit videre. Viderunt utique ambo et admirati sunt.

Sed ut ad miracula sanguinem comprobantia redeamus.

<sup>h</sup> su paraverat cancellato.

<sup>i</sup> Dominus nel testo.

Est in monasterio soror quaedam Archangela de domo Contarena, quae sorores duas habebat nubiles et parentes nimis insudaverunt in practica nuptiarum, nec quicquam perficere potuerint. Dolens soror praedicta et spiritu quodam excitata, Deo altissimo vovit dicere quindecim diebus [340] continuis quindecim Pater Noster in honorem huius sanguinis, rogans Dominum Iesum ut sicut vivens primum miraculum fuit in nuptiis, sic per sanguinem istum primum miraculum extra hoc monasterium demonstraret in nuptiis. Mirabile dictu: quintadecima die per votum factum completumque celebratum<sup>i</sup> fuit contractum amborum, cum magna parentum consolatione.

Et statim post, cum frater Hieronymus Manianus ex Assisis Venetias applicuisset, cum maximo capitis membrorumque dolore febribusque atrocibus, ut non valeret ultra sufferre, venit dolens et maerens ad cellam nostram conquerens de infirmitate. Cui suggestente Spiritu, dixi: «Credis? Habes fidem?». «Habeo» inquit, et ego extraxi pannum illum lineum, qui suppositus erat ampullae quando in pede sanguinem sudaverat. Unde aliquibus guttis in corona, sicut erat per ampullae respersus videbatur, quae mecum asportaveram<sup>k</sup> quando miraculum vidi. Et cum ipso ter signavi ipsum genuflexum signo crucis, dicens «In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, et in virtute huius sacrae rei». Nec enim ipse tunc sciebat quid esset. Et sic dimisi ad eum ad quietem. Vesperascebat enim dies, abiit ille dormitum et mane sequens surgens sanus et incolmis, perseverans usque ad praesentem diem.

Item soror Ursula magna correpta fuit febre doloreque stomaci et membrorum ut praevalere non posset, subito ad medecinam coelestem se contulit, matre pro ipsa orante. Sabbato convalluit.

Item octava Conceptionis, die vero duodecima decembbris, cum solitam extasim pateretur deducta fuit in magnum cardinalium concistorium. Inter quos unum vidit vestitum ueste rubea, barba longa et cana qui ut sanctus Hieronymus videbatur, cui praesentata fuit forma crucis de qua supra dictum est. Et ipse radio quodam quem tenebat manu tetigit eam crucem dicens: «Oportet quod fiat crux ista in forma propria, et non multum demoretur».

Die vero sequenti disparuerunt granelli isti stelliferi a liquore. In huius fundo postea videbatur velut nebula alba, monticulis quibusdam pendentibus. Et balsamum convertebatur in liquorem [341] illum album niveum aut lacteum. Similiter liquor sanguineus qui erat in ampulla parva, in liquorem illum niveum mutatus est, et effectus in speciem illius liquoris qui est in ampulla magna. Et usque ad festum Nativitatis silentio

<sup>i</sup> celebratus *nel testo.*

<sup>k</sup> *su asportatum cancellato.*

preterierunt omnia et non equidem ut credo quod nihil occurseret, sed nihil manifestaret. Parum enim aut nihil manifestabat respectu earum, quae tenebat abscondita, sed ea quae ad sanguinem pertinebant et in quibus impellebatur a Spiritu, tantummodo revelabat.

Superveniente igitur Nativitatis Domini Nostri solemnitate, in vigilia ad solitam extasim rapta fuit, qua delectata et refecta usque ad diem sancti Ioannis, quatuor vero diebus continuis perseveravit. Similiter sexta feria et in vigilia Epiphaniae, quae autem viderit aut audiverit, nemini patefacere voluit, sed hoc tantum dixit: «Voluntas Dei est ut sanguinis mysterium manifestetur». Et quomodo declaravit per visionem quam habuit feria sexta infra octavam Epiphaniae, de qua scripsit litteras manu propria haec continentes:

«Visum mihi fuit duci in nebula quadam et in amoenissimo prato ubi erat maxima populi multitudo, sed fui seorsum a populo locata. Et vidi descendere a coelo duas nebulas quae approximarunt. Sed in toto non descenderunt in terram, sed videbantur sustineri in aere, et una altior altera. Et ecce superior aperiri videbatur, ex qua exiit s. Ioannes Baptista tenens in manu sinistra duas ampullas sanguinis vero et liquoris, et benedixit mihi, et ad multitudinem populi versus ait: "Propter accensum desiderium istius, Deus dedit hunc sanguinem. In quem qui habuerit veram fidem et cor contritum rectamque conscientiam, hoc mediante consequetur in perpetuum remissionem suorum peccatorum". Et ad me iterum versus, ait: "Manifestavi in potentia Patris, in sapientia Filii, et in virtute Spiritus Sancti". Ad cuius vocem elevavit tota illa multitudo brachia in modum crucis, clamans: "Misericordia". Et in nebula inferiori apparuit quidam praelatus in habitu cardinalis, barba cana, ut videretur sanctus Hieronymus; et nebulae videbantur coniungi. Et sanctus Ioannes dedit ampullas illi cardinali. Et ille dum recepisset, ait: "Timete Deum, timete Deum". Cui ut Hieronymo... »

[342] Et ultra in litera de hoc non continebatur.

Cupientes autem nos intelligere quid illud "cui ut Hieronymo" significaret, quod non sine difficultate extraximus, eo quod in eius laude vergebant, significatio autem erat quod huic ancillulae Christi credi videbatur ut Hieronymo quem in vita non longis passibus imitata fuerat. Et ut interpretatio competebat.

Sequebatur in literis:

«Et hoc dicens appropriavit ripae cuidam aquae magnae quae in capite illius loci aderat, ubi erat navigium quoddam ornatissimum coopertum auro, circumatum multitudine angelorum. A quibus sentiebantur cantus suavissimi et melos. In quo navigio erat praelatus habens mitram in capite. Erat et princeps quidam cum multitudine venerabilium personarum, in

quod navigium intravit praedictus cardinalis. Quo intrante praelatus ille et princeps simul apposuerunt manus ad ampullas quas gerebat cardinalis ille cum magna reverentia. Et dum recederet navigium, benedixit mihi cardinalis, et ipsi cum navigio venerunt ad monasterium, quo et ipsa cum nebula illa deducta fui. Et tunc oculos aperui».

Decimo vero ianuarii die dixit confessori quod cum se afflictam sentiret de more ad capsulam accedebat, quam aperiens exibat odor ille suavissimus quo supra modum confortabatur, sed dum illa die idem faceret, vidi super liquorem illum album lunam quandam albam erectis cornibus ad coelum lucentem<sup>1</sup> velut lumen quoddam, quam intuita est per quartam partem horae. Postea dissoluta evanuit, relinquens in recessu odorem suavissimum. Sequenti vero die sudavit ampulla sanguinis sudorem quemdam velut aquam.

Die autem quinta decima ianuarii solitam extasim patienti, fuit dictum quod videtur ampulla sanguinis in confirmationem veritatis duos circulos, alterum desuper, alterum vero in fundo. Quae omnia vidi ad se reversa. Viderunt et alii sanguinem aliquantulum auctum.

Decima septima vero die mensis eiusdem, quo iam annis undecim elapsis stupendo miraculo ab omnibus destituta sanitatem ab apostemate integerimam recuperaverat<sup>m</sup>, voluit Deus ex alio miraculo eundem sanctificare diem. Nam rogata a sororibus ut ampullas sanguinis demonstraret, annuens pia mater maiores ostendit, ad parvam autem deueniens et ad ultimas sorores, Bernardinam vero et Augustinam, cecidit ampulla de manibus super [343] suos pannos et sororis Bernardinae, nec non advertebat. Et illa ad matrem: «Cecidit ampulla, mater, et diffusus est liquor». Concurrerunt aliae sorores: Maria vero, quae vicaria tunc erat, et Archangela, et aliae, quae omnes viderunt liquorem diffusum, unde maximo affligebatur dolore.

Et cum eodem die accesserimus ad eam, nihil de hoc dicere voluit. Ad solitum tamen orationis configurum accessit, rogans ut sicut eodem die aquam in vinum converterat ut evangelium occurrens eadem dominica<sup>n</sup> innuebat, et sicut eodem die ipsam sanitati restituerat, sic in tota animi afflictione succurreret. Quam orationem protraxit fere usque ad horam matutini, antequam parum ante somno se dederat iam fessa. Sed pauxillo somni sumpto expergefacta fuit, sentiens vocem sibi in corde dicentem: «Vade ad capellam et vide quid invenies». Fuit et vidi ampullam plenam usque ad collum liquore albo, simili<sup>o</sup> illi qui in altera erat ampulla. Hinc confortata nimis gaudebat in se ipsa. Sed completo matutino filias accersivit, quibus omnibus factum monstravit. In mane vero et nos accersitos, reddidit rei proprios. Et

<sup>1</sup> lucens *nel testo*.

<sup>m</sup> su recuperaverant cancellato.

<sup>n</sup> domini ea *nel testo*.

<sup>o</sup> simile *nel testo*.

cupiens de hoc certificari, vocavi sorores illas omnes quae viderunt effusum liquorem et vacuam ampullam, quae omnes in verbo veritatis responderunt sic omnia successisse ut supra narrata sunt, et vidimus eius tunicam liquore illo conspersam. Sudarium vero sororis Bernardinae super quem ceciderat, combusserunt. Venerat et tunc frater Nicolaus Morripetrus qui erat iturus Bononiam, qui vidit et ipse, et tunc statui rem plenius intimare reverendissimo domino Protectori quos fratres mittendos, pos*t*quam divino sugerente spiritu affuit non vocatus ad facti examinationem. Qui simul cum fratre Hieronymo Maniano eodem recesserunt Bononiam se collecturi, ubi et Pontifex maximus et reverendissimus aderat Protector. Cui rem declarantes in stuporem adduxerunt et promisit in brevi se profecturum Venetias et rem diligentius inspecturum.

In XX autem die mensis eiusdem, in vigilia vero sanctae Agnetis, sibi devotissimae ad solitam extasim fuit deducta, in qua stante voluit videre soror Ursula. Quam cancellatis manibus vidit, et audivit dicentem ter: «Benedictus Dominus Deus Israel, quia [344] visitavit et fecit Redemptionem plebis sua». Et postea iterum ter: «Nunc dimitis servum Tuum, Domine, secundum verbum Tuum in pace, quia viderunt oculi mei Salutare Tuum, quod parasti». Quod non sine miraculo est, ut in illa extasi audiretur loquens. In qua tamen steti*t* usque ad crastinum praedicti festi.

Postea XXV die creverat liquor albus usque ad summum ampullae, quod videntes ipsae ordinaverunt maiora tabernacula nimis in ore expansa; unde supersedere statuimus, sed annuente ipsa ut transmutaremus, quasi dubitans ne superfundaretur, pateram accepi et pannum lineum vestivi, in quo collocavi ampullam ne disperderetur liquor si cresceret. Sed nocte sequenti hora secunda orationi vacans, sensit veluti aquae guttas cadere per horae unius spatium et post strepitus sensit, veluti quando castanearum ligna comburentur. Et post illud, veluti oleum bulliens in frixorio. Timuit, sed tamen videbantur strepitus illos in capsula. Quam aperiens vidit liquorem illum ebullire, et iam guttae saltantes maculaverant spondilia et coopertorium capsulae. Et super linteum illud diffusus liquor totum madefecerat. Quod perseveravit usque ad quintam horam noctis. Sed matutinali hora cessavit ebullitio. Mane autem facto accersivit confessorem et factum narravit. Et post horam tertiarum accessimus ambo, et omnia vidimus quae narrata sunt. Resposuimus tamen omnia in suo loco quounque alia tabernacula fierent. Hoc interim magna vexabatur angustia, ut vidimus quia liquor diffundebatur, quamvis ipsa illud non cogitaret, sed aperientibus nobis archam vidimus diffusionem.

Die autem penultimo ianuarii hora vigesima tertia accessimus et omnia vasa vidimus plena, et magnum et parvum. Et tunc in praeparata tabernacula

manibus meis propriis, et sanguinem et liquores illos transfundi, et commixti fuerunt in transfusione illa liquores. Sed in manibus meis tripartitus fuit liquor ille albus ut antea. Et omnia locavimus, et recessimus.

Sed quod ultimo die ianuarii acciderit, dignum omni memoria existimamus. [345] Ad excessum solitum raptam, multa recepit in favorem sanguinis memoratum digna, inter quae hoc insigne Deo iubente propalavit: quod vero in raptu illo clarissime vidit Christum Redemptorem mirabiliter et inexcogitabili pulchritudine refertum, sole longe lucidiorem, et statim genuflectens debita reverentia adorabat. Cui Christus de sanguine loquebatur, et illa: «Ha Domine mi, nollem decipi<sup>p</sup> in isto sanguine. Si Tuus es, desiderarem melius certificari». Et Christus: «Scias quod sanguis iste est meus», et demonstrans vulnus suum laterale adiunxit: «Hinc exiit sanguis ille». Et illa: «Ha Domine, quantus debuit esse dolor Tuus in passione». Et Christus: «Vis probare hoc in confirmationem sanguinis?». Et illa: «Essem contenta, Domine mi». Et statim vulnus novum et torturam sensit in corde maximo cum dolore, ut loquela et motum amitteret. In quo dolore stetit etiam post extasim per totam dominicam sequentem et secundam feriam. Primum vero diem februarii, quo summo mane dedi sacramentum eucharistiae non sine labore, cum et dolore proxime dicto et praesentia sacramenti ad quod indignam se existimabat cruciaretur. Ipso tamen assumpto, statim ad cellulam suam immo sepulchrum quodammodo quod in ecclesia habebat confugit, ubi relictis mortalibus, cum coelesti Sponso sacro quodam convivio epulata fuit usque ad diem sequentem Purificationis virginiae. In cuius mane redditam est ad nos laeta et a dolore absoluta.

Sed interrogata quomodo successissent res, haec de multis affata est: «Virgo benedicta sua gratia et humanitate dignata est me visitare, et videns maestitiam cordis mei obtulit mihi mammas et lac, ut mihi videbatur, stillabat in os meum. Quo accepto, tanta fui suavitate referta, ut omnis statim dolor discederet. Postea vidi Simeonem illum Sanctissimum vas quoddam tenentem sub mammis Virginis, colligens lac illud quod supererat fundendum post cibationem mihi factam. Quod lac Simeon Santos demonstrabat populo, dicens quod singulis annis in ea solemnitate deberet fieri processio et demonstrari liquor ille lacteus. Et tunc prodiit [346] processio magna et precedebant induiti pulcherimis ornamenti ecclesiasticis; postea subsequebant fratres multi ordinis Minorum, et Sanctus Simeon portabat vas lactis beatae Virginis, declarans et docens quod Christus conceptus de Spiritu Sancto assumpsit carnem humanam ex Virginis sanguinibus et nutritus lacte.

<sup>p</sup> decepi nel testo.

Ita hi duo liquores debent esse coniuncti. Et sicut lac Virginis processit a sanguine suo, sic liquore quem habemus, a sanguine. Et sicut prius Christus recepit sanguinem ex quo fuit formatus, post lac quo fuit nutritus, sic et prius datus fuit sanguis, postea successit liquor ille lacteus. Et sicut de sanguine Christi exiit aqua baptismi et omnia alia sacramenta, sic ab isto sanguine emanavit odor ille lacteus, et oleum vel balsamum, quibus conficiuntur sacramenta baptismi et utriusque unctionis.

Multa alia habuit, quae exprimere noluit nisi hoc tantum quod prout sibi videbatur videre. In processione futura portabatur ampulla illa parva tantummodo. Et post haec aperuit arcum et vidi liquorem illum lacteum in ampulla illa magna, in qua manibus meis parum ante illum locaveram, crevisse ad mensuram duorum digitorum nullo augmento facto in aqua de subter, nec in oleo vel balsamo quod supenetrabat.

Postquam communionem factam in vigilia Virginis et post cibationem illam virginei lactis, amplius cibum assumere non poterat. Et si aliquod sumebat hoc faciebat obedientiae impulsu, et ne gloriari posset inutili gloria, quae stetisset sine cibo maiori spatio quam steterit Moses, Elias, et Christus Iesus. Cibus tamen quem sumebat quamminimus potius molestando eam gravabat, quam refectionem aliquam paeberet. Nihil enim a die illo primo februarii usque ad quartum et decimum martii, quo diligentissime interrogavi, assumpsit ex cibis materialibus, nisi tantum quatuor poma et aliquot grana uvae orientalis.

In crastino vero Purificationis vidit in ampulla illa liquoris albi literas quasdam aureas quarum prima erat «S», sed ipsarum tenores non expressit, quae eodem die evanuerunt.

Decimo autem die februarii in nocte, post aliqualem somnum sumptum, apparuit sibi [347] beatus Franciscus dicens: «Isti tui patres nimis diligenter te examinant, cupientes certificari. Sed ne tristeris. Deus enim erit tecum». Sequenti vero die transfudi manibus propriis sanguinem in ampulla maiori conformi illi liquoris albi.

Quarto decimo vero februarii, dominica videlicet quinquagesimae, confessor retulit quod fratres ad Bononiam destinati pro causa sanguinis, ex Bononia ubi aderat Pontifex erant reversi, et negotium intimauerunt reverendissimo domino protectori, qui statuerat sese personaliter ad sacramentum visendum in brevi collaturum. Sed hora secunda noctis eiusdem diei orationi vacanti apparuit sibi diabolus terribilissimo aspectu, in quo nunquam retroactis temporibus viderat, qui videbatur eum velle devorare, nimis conquerens de sanguine, minans facere tot mala quod recuperaret iacturam sibi fiendam per eum. Sed illa adiurabat in virtute passionis Christi, per beatam Virginem et sanctum patrem Franciscum, ut discederet. Qui ali-

quantulum elongabatur, postea appropinquans fremebat in eam, aliquando percutiens in pectore, quod stup<sup>p</sup>rum sibi videbatur. Sed appropinquante hora matutini, venit sibi in mentem adiurare eum in virtute sanguinis, quod et fecit. Et cum hoc audisset diabolus magno fremitu stridebat, apprehendens brachium eius sinistrum, torquens cum tanto impetu ut amoveretur a loco suo a scapulis et discessit. Et tunc tumefactum fuit brachium et manus cum quadam nigredine veluti in percussuris vehementibus accidere solet contractaque fuit manus et dura ut marmor. In brachio vero ubi apprehenderat eam diabolus signum veluti manus quae apprehendisset nigerrimum. Quod naravit nobis feria tertia sequenti, XVIII die februarii, qui accesseramus pro capitulo visitationis fiendo et voluimus videre. Et sic invenimus et vidimus omnia, ut supra narratum est. Et crevit dolor et tumefactio usque ad diem cineris. Sed sicut omnipotens Deus illud permisit in testimonium veritatis et perdite quam debebat pati diabolus ex hoc thesauro nobis tradito.

Voluit etiam demonstrare quanta sit ipsius thesauri virtus contra ipsius diaboli potestatem. Unde cum daret confessor cineres sororibus iuxta morem omnium christianorum, [348] et hora erat quasi XX et ipsa reciperet, ait: «Signate, pater, brachium meum pezzia illa intincta sanguine, quia dolor minus me cruciat». Quod fecit confessor signans eam ter, in nomine videlicet Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, coram sororibus, et involuit lineum circa manum dicens: «Vade ad orationem ad meritum obedientiae». «Sentio, pater, veluti formicas circa manum». Et ut obediens filia statim ad orationem cucurrit in locum seorsum ne molestaretur, ubi orans dixit: «Domine, hic sum propter obedientiam, rogo te ut in virtute sanguinis istius, si Tuus es, et obedientiae, sana brachium meum».

Quibus dictis coeperunt lacrymae fluere et ad excessum elevari, redeunte autem invenit brachia cancellata supra pectus linteumque discessisse et mantum perfectissime sanam.

Confessor autem domum esse reversus, et post completorium, cedulam ad confessorem misit haec continentem: «Pater, postquam signasti me ad orationem accessi, ubi steti usque ad horam complectorii. Et surrexi perfectissime restituta sanitati, unde nullum sentio dolorem».

Et sororibus brachium et manum ostendit sanum; et confessori ostendit die sequenti. Vidi et ego XX die mensis manum et brachium perfectissime sanum iisdem oculis qui die viderant ipsum, ut supra narravimus, afflictum. Et eodem die ostendimus sanguinem domino episcopo Feltrensi et magnifico domino Dominico Mauroceno. Quo die et aliis pluribus repetebat, quod impellebatur a Spiritu in excessu suo solicitare causam sanguinis.

Usque vero ad tertium diem martii res tacite successere, quo die reverendissimus cardinalis Grimanus ordinis Protector accessit ad monasterium ut

videret et sanguinem, et ancillam Christi, et locum ubi illum acceperat. Venit autem comitus domino episcopo Feltensi, domino Petro, comandatore, et domino Vincentio, fratribus. Ego autem cum confessore et patribus infra-scriptis: Bonaventura de Rizetis Guardiano Vineae, Hieronymo Battalia, Hieronymo Maniano, Nicolao Maripetro. Et accessimus ad capellam ubi pignus illud acceperat, et ibi rei seriem succinte narravimus. Quo facto licentiatis omnibus excepto confessore et me, advocavit eam cum sorore Ursula et ab ore eius voluit ut supra narratis confirmari. Quibus omnibus auditis recessit optime aedificatus et amplissime commotus. [349] Sed antequam veniret reverendissimus dominus, cum sibi denuntiatum fuit ut se praepararet, pavida Christi ancilla tanto timore fuit ex virili aspectu futuro correpta ut restringeretur penitus laterale vulnus.

Sed nocte sequenti cordi et auribus intonuit vox quaedam solicitans eam in causa sanguinis, addens quod illustrissimus dominus<sup>q</sup> procurabit rei authenticationem. Sed in hoc dolore quodam, hora vero matutini appropinquate, visum sibi fuit maximum lumen, quod aliquantulum coruscans in facie eius dolorem abstulit et iocunditate replevit. Sed cum non tantum meo, verum aliorum sapientum iuditio pro constanti habuerim quod sanguis humanus extra corpus non potest diu manere incorruptus et non coagulatus; et eam vidi sem suum liquidum sine corruptione diu conservari et, quod plus est, odore suavissimo resperso, optabam ut in praesentia mea extraheretur, et extractum apud me servare, quo possem omnibus testari illum esse sanguinem in oculis meis extractum a corpore humano.

Unde septimo die martii id facere decrevi, sed timuit sacra virgo pudore suo ita ut comprimeretur sanguis. Unde dilatum fuit negotium. Sequenti vero die aggravata fuit ex confissione sanguinis et consolidatum poenitus vulnus, unde confessorem accersivit pro viatico sumendo; ad quam accedens confessor, vidi eam nimis afflictam, quae ait: «Consolidatum est, pater, vulnus». Non credebat confessor, unde ipsa ostendit carnem penitus integrum et solidam. Sed ubi erat vulnus, rubedo quaedam tantummodo apparebat, et non bene credens confessor visui addidit et testimonium tactus, et comprobavit clare vulnus illud consolidatum fuisse, et his visitis obstupuit simul cum his qui aderant. Commendavit negotium Deo et sacramentum eucharistiae sibi dari curavit. Cui illa reverentiam debitam aut sibi possibilem exhibens, manibus super pectus cancellatis, lacrymis et singultibus oculisque clausis, sacramentum assumpsit. Quo cibo gustato, ad extasim statim sublevata fuit, in qua stetit usque ad sequentem diem.

<sup>q</sup> illustrissimum dominum *nel testo*.

Nona igitur die martii ministra sua misit confessori cedulam in hunc tenorem: «Mitto, pater, optimum nuntium: charissima mater nostra optime se habet. Et quod erat clausum nunc est apertum. Gratias igitur agatis immensae bonitati».

[350] Accessimus ut eam videremus, et hoc stupendo confirmaremur miraculo: ut vulnus quod nudius tertius videbatur apertum, et postera die clausum, hodie iterum apertum videremus. Ivimus et vidimus et linteum quod erat desuper maxima copia sanguinis respersum, qui in mane post recuperatam gratiam fluxerat. Obtegebatur tamen vulnus pellicula quadam rubea ut non posset videri, ex cuius pelliculae inferiori parte sanguis fluebat. Sed cum vellemus extrahere, compressus fuit sanguis non tantum timore, sed ut inde stupendus quem statim narrabimus sequeretur eventus. Nam ad cellam accessimus, ut novum quoddam videremus in ampulla liquoris albi prodigium.

Crepuerat namque liquor ille albus in medio, in quarum partium dextera caput quoddam veluti in camaino insurgebat insculptam barba quadam crispa et capillis partim protensis partimque cincinnatis, oculis teretis et lineamentis formatam. Quam postquam vidimus et mirati fuimus, ad antriolum ubi est porta revertabamur. Sed in descensu scalae sensi me, Deo teste, in corde permotum et veluti Spiritum mihi dicentem: «Facias demonstrare tibi vulnus, quia nunc apertum est et sanguis effluit». Et cum in antriolo fuimus, dixi quod mihi suggesserat Spiritus. Subrisit illa et confiteri solebat, tandem obedientiae stimulo compulsa manus ad latus apposuit et rubricatam sanguine extraxit. Instabamus ut tunc: «Haurirem sanguinem», recusabat, sed causam subticebat. Haec enim erat: sentiebat nerulum quandam ex vulnere exire cum non parvo dolore. Unde super gradum scalae sedens prospexit se ipsam, et nervum extraxit cum sanguine, quo intingebantur digiti. Et illa non advertens manum abstergebat in parietem, ubi et nervum reliquit. Nos autem non advertentes quid faceret recessimus.

Die vero sequenti, cedula nos accersivit ut videremus quam mirabilia Dominus operatus fuerat. Quo cum accessissemus, pyxidem parvulam ostendit ubi nervus ille erat, in quo expressissima erat crux, veluti super humeros eiusdam portantis et habentis in capite spineam coronam, quam hucusque apud me habeo.

Post prandium autem eiusdem diei, apertum vulnus laterale vidimus et sanguinem fluentem, ex quo coram nobis, scilicet confessore et me, et aderat soror Maria vicaria, et [351] soror Ursula; ad ostium autem stabat soror Francisca Elisabeth et Archangela Contarina, extracta fuit tanta quantitas, quae parvulam ampullam replevit et mecum asportavi.

Die vero sequenti, undecima die martii, ostendimus omnes tres ampullas magnifico domino Antonio Iustiniano doctori, magnifico domino Zachariae Dolfino, Hieronymo Gabrielo, praesbitero Benedicto Premarino, Petro Usnago, et aderat nobiscum frater Bernardinus Utinensis socius meus. Qui omnes viderunt caput illud in liquoris scissura, excepto domino Hieronymo Gabrielo ob luminum suorum obscuritatem.

Anno eodem tertia decima die martii, in crastinum sancti Gregorii in die sabbati, misit litteras in huiusmodi tenorem:

«Bonitate Dei factum est, ut apparuerit mihi sanctus Gregorius in habitu pontificali, vestimentis albis, quae albedo splendida erat sicut lucerna lucens et erat in magna maiestate associatus quibusdam spiritibus ex utroque latere resplendentibus nimis. Qui dixit mihi: "Sicut gloriosa Virgo Maria fuit principium Redemptionis humanae, ita guttae illae sanguinis quae ex ampulla alba exierunt, significant purissimum sanguinem ex quo fuit fabricatus Dominus Iesus. Albus liquor, qui est in medio, significat lac gloriosae Matris; aqua, quae inferius est, et oleum super natans baptismum significat.

Illustres spherulae quae visae fuerunt, radios signant Spiritus Sancti, qui obumbravit Beatam Virginem. Et sicut in nocte Nativitatis apparuit Dominus Iesus, sic nunc est tempus quo manifestetur et demonstretur praetiosus sanguis eius pro salute animarum. Et ratio est, quia multae animae in periculo existentes indigent manifestatione huius sanguinis pro eorum salute". Adhuc<sup>r</sup> mihi fuit declaratum, quod ✠ nostra Deus faciet apparere post hunc sanguinem, significationem crucis quam portavit Iesus Redemptor mundi.

Ulterius fuit mihi dictum, quod sanguis hic non debeat separari ab isto loco, et debeat adhiberi diligentissima cura et optima custodia, quod non furetur, nec asportetur, nec separetur. Et fuit mihi demonstratum, ubi debeat demonstrari et secure custodiri post parietem nostri sepulchri. Quapropter nunc mihi videtur tempus, quod ponantur in opus primi denarii qui fuerunt [352] mihi dati pro fabrica sepulchri ex lapidibus vivis secundum visionem quam habui iam sunt duo anni. Et hoc quod nunc habui videtur mihi confirmatio primae. Et pro maiori confirmatione videbatur mihi locus ubi demonstrabatur sanguis, qui erat capella obscura, quae non illuminabatur nisi ex magnis luminariis. Et circa hoc dicam etiam quod sunt iam sex dies quod sum multum stimulata quod crux principietur. Quae demonstratio completa fuit hora sexta noctis qua fui experrecta e somno. Valete».

<sup>r</sup> In margine ma tagliato: --- aquadam ✠ ---batur  
quam nullis ---signum dederat ----- declarans--.

Aliqua pauluscula in calce erant non alicuius importantiae. Sed hoc tantum dicam quod in fine erat: «Haec non sunt ex centesima parte, media eorum quae mihi monstrata fuere».

Et cum vellem intelligere clarius rei seriem, statim post prandium accessi ad ancillam Christi ut quid aliud posset dicere intelligerem. Et cum de multis interrogarem haec habui:

Primo, quod prout habere poterat in parasceve sequenti debeat manifestari.

Item, quod iam sunt duo menses, quod quandocumque anima aliqua amicorum discedit a corpore, sentiebat cruciatum maximum, quod erant priuatae ipsae animae merito et utilitate sanguinis lateralis. Adiunxit quod manifestatio huius rei etiam multum proderit Domino, quod multi malignantes erga ipsum auditio rei miraculo sese continebunt, quia nullus est tam malignae naturae qui in huiusmodi aliquantulum non moveatur. Addidit quod dictus Gregorius dixit sibi nomen suum, cum tamen non cogitasset neque de sancto neque de festo; quod circa meridiem per hortum deambulans, eodem die collustrata fuit, quod in hac die sancti Gregorii et in solemnitate eius, cuius missae dicuntur pro liberatione animarum a Purgatorio, declarata sibi fuerunt multa de hoc misterio dato pro liberatione animarum; quod tantae importantiae est et tam multa circa illud fuerunt demonstrata, quod plurimae linguae exprimere non possent.

Ex quibus non sine difficultate haec pauca extraxi: quod sicut Beata Virgo in principio Incarnationis semper fuit cum Christo, ita lac illud datum a Virgine nunquam separabitur; et quia sanguis erat a Christo, liquor vero albus a beata Virgine simul cum illis guttis, quae sudarunt in pede, quae significant sanguinem ex quo productus fuit Christus, qui – ut sibi demonstratum fuerat – formatus fuit [353] ex purissimis sanguinibus beatae Virginis collectis ex purioribus locis, hinc inde ex toto corpore eius in summa puritate. Ideo non cum alio sanguine Christi sed seorsum ab illo in ampulla illa liquoris albi resurgebant, qui liquor albus, ut dictum est, datus sibi fuit a beatae Virgine, in quo globus ille lacteus in forma mammae erat.

Et oleum et aqua baptismi sacramentum significat, quo multi infidelis ablurentur, prout firmiter asseruit, per merita et gratiam impetratam a beatae Virgine. Ideo in sua erant ampulla. Addidit quod oleum illud misericordiam significabat, quam particularius intercessione Virginis gloriosae et ancillulae suae debebat Deus his temporibus mundo demonstrare.

Addiunxit quod moniales illae duae quae sibi apparuerunt significabant eas quae de ipsa mihi testimonium perhibuerunt, ut dictus est. Et interrogata ubi erat quando vidit Gregorium, respondit quod erat in loco illo amoenissimo et glorioissimo, ubi fiebat maximum festum, et aderat

multitudo maxima spirituum in loco illo. Sed circa eum non multi assistebant. Et interrogata de spiritibus, si uniformes sint, respondit quod umbrae<sup>s</sup> vel videbantur similes, sed una multo splendidior alia, secundum quod operati fuerant in hoc mundo, quod et Paulus docendum ait: «Sicut differt stella a stella in claritate, sic sanctus a sancto in gloria». Et suspirans subintulit: «O miseria nostra, nos illa superna comprehendere non possumus, sed illi nunquam cessavit aspicere in Christum Iesum et nunquam satiantur. Sed semper ibidem summa aviditate respiciunt».

Sed cum interrogarem si comprehenditur aliqua differentia inter spiritus angelicos et humanos, respondit: «Magna quippe, pater. Nam angelici in capite lucidiorem quandam lucem diffundunt dissimilem ab illa qua sancti splendent et maxime ex natura. Et inter angelicos etiam spiritus magna dignoscitur distantia». Addidit: «Hic erat nova Ierusalem, hic novum sepulchrum quo magis confugient populi quam Ierosolimam».

Die autem XV scripsit cedulam haec continentem: [354[

«Nocte praeterita invasit me stimulus magnus me solicitans ad exponendum thesaurum, ut me totam conquassaret, ut vidisti me, sed tacui non habens negotium clarissimum. Sed hac nocte compressa gravi somno tradidi me quieti ut dormirem. Sed visi mihi fuere multi circum circa acclamantes: “Noli amplius immorari: tempus est”. Nec est, pater, Deus testor haec mea cogitatio. Et nunc sensi vocem quandam compressam et unde veniret nescio, sed aperte dicentem: “Procura ut praedicatorum incipient praedicare de Redemptione mundi, quia in parasceve sequenti concludetur negotium”.

Quae vox tanto impetu mihi comminabatur, ut sanguis e naribus et ex ore effunderetur in copia. Nec miremini si haec scribo, quia compulsa negare aut resistere nequeo. Vale».

Quod satis consonat his quae mihi anima quaedam sanctissima, cuius sanctitatem multiplicitate comprobavi, declaraverat illis diebus quod vero tantum erat impulsa ad hoc ut exponeret se manifesto periculo peccandi, nisi solicitaret manifestationem; et multa alia de ea mihi dixerat suo loco declaranda.

Sed cum XIII die martii preecepissem ut deponeret circulum ferreum asperrimum quem portabat, consignavit quamvis invicta. Unde die sequenti ubi cingulum tenebat et per totum circum circa, plagis et puncturis talibus fuit tormentata, quod circulus ille videbatur suavissimus in respectu tormenti, quod sibi postea intulit ille, quod iam per viam crucis conducere eam decreverat. Quae tormenta crevere per multos dies, usque vero ad diem Palmarum, quo lacte virgineo refocillata fuit, ut dicetur infra. Unde

<sup>s</sup> In margine, correzione su lares.

aliquando confessori dixit: «Multos, pater, dolores sentio multoties; et quamvis in multis torquear, tamen amor Dei, gratia sit Suae maiestati, me adiuvat<sup>1</sup>, unde prevalet dulcedo unionis cum Deo et pabuli quo me reficit omnibus doloribus quos pati possem».

Hoc interim occurrente solemnitate sancti Ioseph, XIX vero die martii, solitam extasim passa, multa habuit a Christo a sanctoque praedicto, qui splendidissimus super omnes [355] spiritus videbatur Christo Iesu immediatus. Sed de multis haec dixit: quae deberet dicere praedicatoribus ut in die Annunciationis praedicarent quod Christus Jesus fuit formatus ex purissimis sanguinibus beatae Virginis, et cur videbitur postea: «Quod si nolent facere ego minime ero in culpa, sed illi». Et hinc fuit deducta ad locum spatiosum, et magnum, ubi erat maxima gentium multitudo clamantium: «Misericordia, Misericordia! Non est amplius immorandum, non ultra tardetur publicare dictum sacramentum non tantum uni sed omnibus concessum». Hic alia subiunxit mysteria gravissimae importantiae, scripturae minime committenda.

Sed cur petebat praedicari Christum fuisse formatum ex purissimis sanguinibus matris, sequens patefecit eventus. Quem praevenit ut solita erat multarum dolorum et angustiarum tormento, semper quando omnipotens aliquid sibi mirandum ostendere statuerat, tam duris castigationibus prius emundabat. Unde a vigesimo primo die usque ad XXIII, tanto fuit dolore perfossa, quod stetit per biduum semimortua. Videbatur nanque sibi quod pugione confoderetur cor, et a confosso corde extraheretur, et iterum confoderetur, et hoc persensit per illud biduum simul cum gravamine et dolore maximo intestinorum. Ut longe remota illa sanctissima anima ad unguem mihi praedixerat, de confessione videlicet cordis et interiori angustia, quam illis diebus pati debebat. Quae per cedulam et ore proprio dum sic premeretur, rogavit ut orationibus meis et fratribus sibi procuraremus constantiam et fortitudinem ad tollerandum, non autem ut auferretur, sed maiorem adderet dummodo posset sufferre.

Die autem XXIII martii, in vigilia verum Annunciationis, sacramentum eucharistiae accepit, post quam assumptionem aliquibus gemitis et singultibus emissis remansit rapta in excessum mentis, manibus coniunctis et genibus flexis, facie vero rubicunda et fausta supra modum. Ubi sic stetit usque ad solemnitatem Annunciationis. Sed in vespere vigiliae nescio quo spiritu, confessori dictum fuit a fratre quodam: «Cras observa ampullas, quia si vera sunt quae dixit de sanguinibus, cum dies occurrat quo fuit [356] Christus formatus, aliquod in eis apparebit signum».

<sup>1</sup> adiuvant *nel testo*.

Accessit confessor in mane ut communicaret sorores, dixit nutrici eius: «Mihi dictum fuit ut viderem ampullas, si aliqua contingit novitas». «Videatis» et illa dixit matri. Mater autem simul cum ea, quamvis debilis et tristis, ad cellam accesserunt, quo non accesserat ob eius infirmitates a XX die citra. In inferiori enim cella requierat illis quatuor diebus. Et aperientes archam extraxerunt ampullas, et primo illam sanguinis et nihil viderunt; ultra ampullam magnam liquoris albi in cuius medio gutta vivi sanguinis exire videbatur, grossa in modum grani mali granati. Et statim currens soror accersivit patrem, et ille me qui eram domi, videlicet in loco sancti Francisci.

Statim cucurimus ad locum, et introeuntes confessor et socius frater Andreas de Laude, ego et socius meus frater Bernardinus de Utino vidimus sanguinem illum in medio ampullae recentissimum atque fluentem cuius guttae duo super pedem iam ceciderant. Et in oculis meis exsiccabatur apertus quoad modum in modum crucis, et in medio, ubi videbatur sanguis exire, apparebat ampulla quasi vulnerata gladio. Et hoc videntes statim accersivimus procuratorem magnificentum dominum Antonium Iustinianum doctorem, et dominum Hieronymum Gabrielem, qui et ipsi viderunt. Et post prandium viderunt simul nobiscum pater Guardianus loci praedicti Bonaventura de Rizetis, Hieronymus Battalia et Hieronymus Manianus. Ubi fuerunt factae multae probationes de illo liquore, utrum esset artificialis an non. Et quanto maiores fiebant, tanto magis laetabatur ancilla Christi, dicens: «Nolite timere, sinite eos facere. Multum gaudeo de hoc: nam quanto maiora pericula facient, tanto magis dilucidabitur et confirmabitur negotium, in quo iam scio nihil artis aut humanae industriae inesse».

Sed cum interrogarem quid habuisset in extasi illius noctis, respondit: «Duo mihi monstrata fuere vobis manifestanda. Alterum quod de liquore debeam super sanguinem ponere ut appareat unde sit extractus ille liquor. Alterum vero de forma ampullae in quo collocari debet». Et formam quam de cera manibus propriis confecerat prout sibi erat demonstratum ostendit.

[357] Et cum interrogarem quid haberet de misterio Incarnationis, respondit: «Dixi, patres, vobis et mihi non credebatis. Dixit et alia anima divino docta spiritu, adhuc non credidisti. Dixi de sanguine ex quo fuit formatus Christus, et adhuc perplexus stabas. Vidisti hodie me non locutam fuisse somnia aut imaginationes mei capit is. De misterio autem Incarnationis tot et tanta mihi fuerunt dicta, ut lingua et vocabula nostra immo omnium sapientum mundi, vel minimam partem exprimere possent».

Sed cum multis sermonibus eam XXVII die martii hortatus fuisse ut caveret ab insidiis diaboli et oraret ferventissime, quia hoc negotium erat maximi ponderis, suscepit verba reverenter praeponderans ut merebantur. Unde vocatis sororibus omnibus orationes indixit ferventissimas, et ipsa

simul cum illis, ut ostenderet benignus Iesus quae sibi erant placita in hoc negotio, et ait: «Domine Iesu, si hoc est a Te demonstra mihi signum aliquod Tui beneplaciti. Si est Tua voluntas da mihi signum letum. Sin autem da mihi aliquid penale».

Unde fessa arrepta est a somno levissimo, et videbatur sibi esse in quodam loco magno ubi videbat multa, quae praeparabantur in decorem et honorem illius sanguinis, aliqui ornamenta et aliqui imagines et similia offerebant. Et videbatur sibi videre multitudinem magnam clamantium: «Iudicetur serenissimo principi, et vocentur fratralterum»; experrecta autem sensit quandam in corde laetitiam, qua satis bene confortata fuit, sed non adhuc contenta.

Unde die sequenti, dominica videlicet Palmarum, in sero vocavit sorores et indixit eis omnibus, tam inclusis quam quaestuariis, orationes ferventissimas et disciplinam, quam fecit et ipsa cum eis cum fervore magno et lacrymis, rogantes Deum et beatam Virginem per omnia charismata eius, maxime per eius Immaculatam Conceptionem, ut huic rei provideret; et perseverans sic in oratione vehementi rapta fuit ad mentis excessum, ubi magno fuit circumdata lumine. In quo mulier astabat pulcherimo coronato splendore, vestita corpore reluenti multo melius quam argentum, capite pulcherimo coronato diadematè stellamque habente in fronte splendidissima. Quae vocavit eam dicens: «Adhuc trepidas de hoc?». [358] Et extrasit mammas, ex quo guttam lactis stilavit, dicens: «Odora si hic odor similis illi quem habet liquor ille in ampulla». Videbatur enim sibi ipsusmet odor, et tunc guttam illam stillavit in os eius. Quae sibi praebuit tantam suavitatem vires atque letitiam, ut ad sensus restituta vires recuperavit tam validas ut nunquam sibi ipsi fortior visa fuerit. Ambulabat enim veluti avis volans nihil sentiens gravitatis redditaque est ultra solitum pulchra et laeta, ut omnibus praeberetur admiranda. Cuius rei et ego testis sum, quod vidi eodem die eam tam iucundam et laetam et venustam, ut nunquam sic eam retroactis temporibus viderim.

Et cum die martis repositus esset sanguis in ampulla priori, ut illa ampulla in qua erat exponeretur pro mensura capacitatis vasis fiendi, prout sibi fuerat in die Incarnationis demonstratum, quae optime et pluries lota fuit aqua munda ex cisterna, et sic plena usque ad mensuram sanguinis oblata fuit procuratoribus, quod in alio vase acceperunt aquam contentam, ad cuius capacitatem fieret vas in quo nunc est, et restituerunt ampullam, quae exposita super quadam tabula eadem nocte sudavit liquorem aqueum odoriferum nimis. Quod videntes sorores iusserunt stare per totam noctem duas alternatis vicibus vigilantes super eam, ut viderent finem. Et steterunt genibus flexis super singulas binas horas binae sorores, sed cum hora

vigilaret soror Beatrix et soror Iustina, quo clarissime sensit angelos cantare illud: «*Vt nos lavaret crimine manavit unda sanguine*».

Facta autem die accessimus simul cum Guardiano et vidimus quod fluxerat in fundo modicus liquor repondendus. Voluit quod Guardianus praedictus, huius rei incredulus, faceret sudoris illius periculum. Poposcit ignem asportari et circum circa revoluti ampullam quoisque tantum esset calefacta quod vix teneri poterat in manibus, et nunquam resoluti fuere sudores illi ex calore, sed tantum illi qui in fundo aderant, quos colligebat liquor in illa circulari revollutione ampullae ad ignem.

Die vero mercurii in sero reclusi manibus meis sanguinem in vase facto ad eam formam quae sibi fuerat de coelo demonstrata, ubi et stare oportet et super eum aliquantulum [359] de liquore illo albo, quemadmodum quo divino fuerat edocta oraculo, ut scilicet cognoscerent videntes unde liquor ille albus traxerit originem. Sed cum culpam de more diceret communionem sumptura, dixi ut non reverteretur a futuro excessu, quem imminentem cernebam ob communionem, nisi reportaret aliquid certitudinis de hoc sanguine, respondit: «*Nolite timere, pater, videbitis in parasseve aliquid*». Et die veneris similiter praecepi dum eam vidi, ut dicetur, ne reverteretur sine aliqua cogitatione.

In mane vero primo verum die aprilis et die iovis, hora octava, dedi sibi sacramentum eucharistiae. Quo accepto, cancellatis manibus supra pectus, ad solitam extasim subvecta est, in qua vidi eam in parasseve hora nona et dimidia simul cum confessore, fratre Bernardino Georgio et fratre Bernardino de Utino socio meo. Similiter in die sabbati simul cum confessore. In nocte autem Resurrectionis surrexit hora septima. Sed quod accident eodem die circa ab hora octava usque ad horam nonam noctis subscribam.

Crux magna apparuit in coelo splendoris auricalchi, in cuius cancellatione erat luna quasi in corde vel medio crucis, et in capitibus brachiorum crucis erant duo mixti splendores veluti duo parvi irides. In capite autem splendor quidam, in pede vero longior splendor qui binus videbatur. Quae viderunt fratres quamplurimi, et saeculares et piscatores quidam mane eiusdem diei venerunt ad locum, et multis nobilibus ostendebant formam crucis quae apparuerat. Et fuit facta quaedam pictura statim secundum formam apparentis crucis a quibusdam aliis qui viderant.

In quo forsitan verificatum fuit oraculum quo edocta fuerat Marina soror utique bona et devota, quae in vigilia Annunciationis levi quodam arrepta somno vidit navem in mari tantis agitata fluctibus ut videretur mergi, unde genuflectebant homines et cum instantia misericordiam clamabant in coelum aspicientes. Tunc et ipsa ad coelum aspexit et vidit angelos tenentes

crucem. Et subito pacati sunt fluctus, et remansit navis tranquilla. Et hoc dico propter fluctus, qui ex multis locis inuadabant hoc negotium.

[360] *Quid externi testes, tam in suo quam in alienis Monasteriis deposuerunt de ea.*

In primis pater Antonius de Monte Melono, vir utique sanctitatis eximiae septuagenarius et multorum patrator miraculorum et qui divino lumine collustratus multa secreta et remota, et patri Ludovico de la Turre, dum generalatus officio fungeretur et aliis non pauca dixerit. In loco Sancti Donati apud Urbinum, ubi per pontificium breve detinebatur ab illustrissimo duce illo praenimio quem sibi gerebat devotionis affectu. Cum ex urbe a generalissimo capitulo absolutus Venetias proficiseretur, in die commemorationis sancti Pauli interrogatus a me quid de ipsa sentiret, respondit: «Bene fili, optimeque sentio, et in quantum suggerit mihi Spiritus, quicquid est in ea a Deo est. Verum sanguinem adhuc non habuerat a coelo». Sed de aliis loquebatur, super quibus interrogaveram suis locis descriptis. Qui iterum per obedientiam astrictus a suo Guardiano fuit \*\*\*Quirino. Respondit: \*\*\*.

Soror Concordia questuaria vidit angelos eam comitantes post communionem et circa sacramentum, quando debebat communicari, ut alibi dictum est. Et aliquando vidit eam splendentem supra modum, et aliquando vidit eam portari ab angelis.

Nec mirum cum omnes sorores et aliquando nos vidimus eam deambularem ita leviter, quod non videbatur tangere solum nec sentiebatur multoties, quamquam ambulabat. Et hoc pluries ego expertus sum. Cui sorori Concordiae dedit pomum, cum esset ipsa Concordia infirma et cum non posset comedere cibum, pomum optime comedit, et sanata est, ut alibi dictum est.

[361] Et aliquando vidit angelos ad fenestram ex qua sumebat sacramentum, qui simul cum sacramento intrabant ad eam. Et semel inter somnum et vigiliam vidit eam tam pulchram et gariofilum odoriferum procedentem ex ore eius.

Soror etiam C\*\*\* quae est in monasterio, mulier utique singularissimae illustrationis divinae ab ipsa iuventute, cui, dum illud monasterium visitarem circa principium decembris anni 1500, praecepi ut oraret pro oratione subscripta. Dixi: «Habeo quoddam importantissimum prae manibus, tria velle intelligere. Primum si est a Deo, secundum quid sit illud, tertium quid facere debo circa illud».

Et praemissa oratione in nocte, mane sequenti dixit: «Illud quod habes prae manibus, pater, est a Deo, et ut videre possum est in manu mulieris, et est illud quod mihi audienti missam iam sunt septem anni demonstratum

est». Et cum interrogarem quid, respondit: «Mihi dictum fuit quod Deus volebat in brevi facere quid magnum in sexu fragili». Et hoc sciscitanti quid, ait: «Vidi datum nescio quem liquorem uni mulieri, quam ignoro quae sit, qui liquor videbatur velut lac fluens, ex quo insurgebat maxima commotio in populo et etiam inter infideles, et videbantur multi inde redire ad cor, et ad meliorem frugem. Et etiam commotio erit in ecclesia Dei, et ni fallor ex hac eligetur miraculose Pontifex unus qui erit ex \*\*\*. Et hoc quoad secundum quesitum. Ad tertium autem quomodo te gerere debeas circa hoc, scias pater, quod res non succedit ut imagineris, sed Deus mirabiliter eam conducebit modo quo non cogitas et in lucem producet».

Et recedens imposui ut adhuc super hoc rogaret Deum, et quid haberet mihi intimaret.

[362] Veniens autem Paduam parum ante festa Natalia visitavi monasterium illud Sancti Bernardini, ubi inveni iam multis annis sororem quandam nomine Theodosiam molestatam a demone quodam malo, qui cruciabat eam exterius in corpore multis tormentis sertis argenteis et aureis, et multis et excogitatis tormentis, qui aliquando adiuratus loquebatur. Et cum adiurassem eum bis, respondit ad multa interrogata, et adiuratus vera omnia dixit ut comprobavi. Et inter alia cum haberem in manica linteum illud super quo fluxerant guttae sanguinis quando ampulla sudabit in vigilia sanctae Ursulae, nolebat appropinquare ad cratem. Tandem venit, et cum acciperem illud in manu coopertum et ligatum in sindone, interrogavi quid esset. Respondit: «Cum ego non habeam partem de eo, quid ad me?» Et ego: «Vis habere partem?». Respondit: «Utinam». Cui ego: «Dic tuam culpam». Efferbuit illa et excanduit, dicens: «Dicat Deus qui me expulit, ego nihil mali feci». Sed cum adhuc cogerem ut diceret quid esset, respondit: «Proicias sub pedibus vel in ignem, et dicam: Increpavi eum», et dixi: «Praecipio tibi in virtute Iesu Christi, ut dicas quid est». Respondit: «Est illius mei inimici Iesu». Ex quibus responsis et terrore si testimonium eius accipiendum sit satis convincitur ipsum comprobasse. Quibus omnibus interfuit frater Baptista de Tarvisio eius confessor et vir integerrimae probitatis.

Sed cum Venetas applicuisse, commendavi vexatam sorori Clarae. Oravit libenter ancilla Christi, ita ut in die Nativitatis, quae tunc sexta feria occurrebat, non molestavit eam sicut solebat facere aliis sextis feriis, et adhuc perseverans in oratione, ecce Diabolus clamans: «Dimite me, dimite me». Sed die sequenti affuit in forma pulcherimi iuvenis tentans eam, quae statim cognoscens ait: «Unde mala bestia, confido in Domino meo Iesu quod me non decipies». In cuius nomine confusus abiit percutiens eam in dorso. Et ex tunc dixit mihi: «Non ultra rogaro, pater mi, pro ea ut liberetur, quia non est voluntas Dei, sciatis», et sic remansit postea usque \*\*\*.

